SCHOENHOF & MOELLER
BOSTON
40, Winter Street, 40

2 1/4 m

1919

375

A 22.C.1832.2

Harvard Medical School

LIBRARY OF HYGIENE

FROM THE LIBRARY OF

CHARLES HARRINGTON

INSTRUCTOR IN HYGIENE, 1885–1898
ASSISTANT PROFESSOR OF HYGIENE, 1898–1906
PROFESSOR OF HYGIENE, 1906–1908

GIFT OF

MRS. CHARLES HARRINGTON

NOVEMBER 30, 1908

# MACER FLORIDUS

DE

# VIRIBUS HERBARUM

UNA CUM

## WALAFRIDI STRABONIS, OTHONIS CREMONENSIS ET IOANNIS FOLCZ

CARMINIBUS SIMILIS ARGUMENTI,

QUAE

SECUNDUM CODICES MANUSCRIPTOS ET VETERES EDITIONES
RECENSUIT, SUPPLEVIT ET ADNOTATIONE CRITICA INSTRUXIT

**LUDOVICUS CHOULANT.**

---

ACCEDIT

## ANONYMI CARMEN GRAECUM DE HERBIS,

QUOD E CODICE VINDOBONENSI AUXIT ET CUM GODOFREDI HERMANNI
SUISQUE EMENDATIONIBUS

EDIDIT

**IULIUS SILLIG.**

---

LIPSIAE, SUMPTIBUS LEOPOLDI VOSSII.

1 8 3 2.

AMSTELODAMI, apud I. MUELLER & Co., in de Kalverstraat No. 163.
LONDINI, apud I. B. BAILLIERE, 219 Regent Street.
PARISIIS, apud I. B. BAILLIERE, Rue de l'école de mèdecine No. 13bis.

HARVARD UNIVERSITY
SCHOOL OF MEDICINE AND PUBLIC HEALTH
LIBRARY

A 22.C.1832.2

## L. B. S.

Cum sex abhinc annos Aegidii Corboliensis carmina medica ad codicum manuscriptorum et editionum veterum fidem recensita ederem, in animo erat, alia quaedam similis argumenti carmina medio aevo conscripta eodem fere modo cum harum rerum fautoribus communicare. Eligebam Macri Floridi carmen, cuius summa apud omnes medii aevi medicos auctoritas mihi iam in curanda Aegidii editione innotuerat, et Othonis Cremonensis versiculos, quos iam tunc e codice manuscripto suppletos descripseram, quibus adiungere volebam Walafridi Strabonis hortulum, non illepidum aevi Carolini poemation. Quae omnia, ut uno volumine comprehendi, sic brevi tempore absolvi posse sperabam. Sed cum insignis copia codicum manuscriptorum et editionum Macri Floridi tum accuratius huic scriptori impensum studium facile me edocuit, eam eius parandam esse editionem, quae severioribus quoque in medicina medii aevi scrutatoribus quodammodo inservire posset, et in oratione Macri constituenda non, ut in Aegidio factum est, coniecturae, sed optioni inter lectiones codicum primarium esse locum concedendum. Hac solum ratione sperari posse videbam, fore ut editio scriptoris alicuius excusationem inveniret, qui neque sermonis versuumque elegantia, neque rerum ubertate et practica quadam utilitate sese commendaret. Et haec quidem

in causa erant, cur multo serius quam promiseram haec editio in lucem prodiret.

Si quis autem, non cur tam sero sed cur omnino eiusmodi scripta nostris temporibus edantur, quaestionem instituat, eum minus, quam decet, memorem esse duxerim, in historia literaria quemcunque scriptorem non ex nostro sed ex suo aevo aestimari, nullum vero ex iis, qui remotioribus et minus notis temporibus scripsere, plane contemnendum esse. Quae cum in omni literarum genere tum praecipue apud scriptores medii aevi valent. Huius enim aevi omnem indolem et conditionem, civilem non minus quam literariam, accuratius cognoscere, hac ex causa iam maxime interest, quia nostra instituta, nostrorum temporum vivendi ratio, artes et doctrinae, et omnis eruditionis nostrae disciplina in illo aevo quasi fundamenta sua habeant profundissima. Ad cognoscendos vero mores et doctrinam cuiuscunque aevi non parum certe conferunt scriptores medici aut de rebus medicis, quippe qui res pertractent a reliquis omnibus aliis quidem scriptoribus neglectas, sed ad vitae quotidianae intima penetralia quam maxime pertinentes. Quare non soli medico aut rerum naturae curioso hi scriptores inserviunt, sed cuique, qui non superficiem et speciem rerum gestarum, sed causas interiores et veram vitae communis indolem nosse cupit. Sic, ut exemplo utar, vires medicae, quae certis herbis inesse creduntur, et narrationes fabulosae de herbarum efficacia in corpus humanum saepe lucem quandam afferunt religionibus antiquis, quae declinando, ut fieri solet, in superstitiones transierunt; verbenae, visci querni et hyoscyami exemplo. Et cur ea, quae medio aevo credebantur de herbarum viribus et morborum natura minoris esse momenti putentur, quam inanes dialecticorum eiusdem aevi subtilitates, aut theologorum verbosae disputationes de rebus, quae sciri nullo modo possunt, aut monachorum loquaces

et prodigiosae fabulae de miraculis Sanctorum et de laudabili vita beataque morte divitum et potentium, liberalitate coenobitis commendatorum?

Latinitati praeterea mediae et infimae accuratius et plenius cognoscendae summam quoque afferunt utilitatem scriptores medici, rebus saepe nominatis, quae ab aliis non commemorantur, et in eo verbis et elocutionibus usi, quae apud alios scriptores non leguntur. Poëtae vero quorum opera hic exhibentur, supplementum simul sistunt ad Polycarpi Leyseri historiam poëtarum et poëmatum medii aevi (Hal. 1721. 8., 1741. 8.), in qua collectione nullus eorum legitur.

Sed ipsa quoque medicina et rerum naturalium cognitio sibi ex hisce suis scriptoribus, qui medio aevo vixerunt, fructum capit satis conspicuum. Medicinae scilicet elementa e remotissima antiquitate ad nos pervenerunt per medii aevi viros medicos, Salerni praesertim, Parisiis et in Monte Pessulano medicinam docentes et scriptis ornantes. Permulta quoque, quae admodum diu valuerunt in scholis medicis et partim etiamnum in iis valent, ex ipsa medii aevi medicina originem duxerunt; medicinae quoque nova illo tempore aetas illuxit, neque antiquitati aequiparanda, neque recentiori aevo, sed utrumque connubio quasi iungens, unde non adeo spernenda, quam vulgo fieri solet. Certum est, permulta medii aevi medicis nota fuisse, quae nunc vel nescimus omnino, vel negligimus; permulta sincerius tunc et modestius tractata fuisse, quae nunc alto nimis supercilio despicimus, doctrinae damno et aegrotorum. Quam copiose, quaeso, illis temporibus actum est de vitae regimine, de cibo et potu, de balneo, de phlebotomia, de herbarum lapidumque virtutibus, de aquis destillatis, de venenis, de lepra, de pestilentia, de temperamentis, de urinarum signis, de arte physiognomica, chiromantica, astrologica et magica, nec non de multis aliis

rebus scitu non indignis, de quibus nunc vel plane non, vel obiter tantum sermo iniicitur in scholis medicis. At sunt haec superstitiosa. Vere quidem, pro more illius saeculi, multa, sed non omnia, et nos quoque superstitione non tam caremus, quam potius alia eiusdem specie utimur, de qua non minus posteri nos culpabunt. Auctoritatibus nitimur ut illi, sed aliis.

Sunt ergo in scriptis medicis et physicis medii aevi multa recondita adhuc et oblivione tecta, quae a curiosis huius aevi indagatoribus in usum medicinae hodiernae verti possent, vel, uti etiam interdum fieri consuevit, pro plane novis venditari. Id praesertim valet in omni tractatione de medicamentis simplicibus, et primo omnium loco de herbis, quarum vires tantum abest ut medicina recentior copiosius in usum aegrotorum adhibuerit, ut potius eas fere despexerit et tota ad chemica medicamenta confugerit.

Sed ut haec et alia multa erui possint e medicina a quinto inde saeculo usque ad finem quinti decimi, opus est accurata et plena huius medicinae historia, quae vel post Ackermanni, Hensleri, Sprengelii aliorumque non spernendos labores adhuc desideratur. Vera medicinae medii aevi historia non solum celebriores scholas medicas et viros de re medica bene meritos cum scriptis eorundem enumerare debet et diiudicare, sed etiam uniuscuiusque saeculi doctrinam et praxin medicam ita exhibere, ut in singulis illius aevi scriptoribus medicis adhuc ignotis aetas et patria eius facile cognosci possit. Bene praeterea discernendum erit in eiusmodi historia, quid medicina medii aevi Graecis debuerit et Arabibus, et quonam modo medicina graeca et arabica illis temporibus mutata sit et aucta, vel etiam diminuta et pessum data. Demonstrandum quoque erit, qua ratione medicina recentior orta sit ex illa, et ex illius fontibus derivata.

Ad haec omnia, quae vix inchoata hucusque dici possunt, opus est prae ceteris, ut scripta medica, quae ex illo aevo supersunt, eruantur e bibliothecarum pulvere, et quatenus fieri potest, accurate edantur. Spero itaque fore, ut haec edendi ratio, quam secutus sum in hisce carminibus non adeo grave in vituperium incurrat, id potius metuens, ut vires et doctrina, quas egomet adhibere valui, sufficiant ad opus susceptum ita peragendum, ut finis supra indicatus vere attingatur. Alii supplebunt, quae deesse bene sentio.

Aequi vero iudices et harum rerum bene gnari non ignorabunt, aliam criticen adhibendam esse his scriptoribus, aliam auctoribus classicis. Nam ab illis neque grammatices, neque prosodiae ulla regula ita constanter servatur, ut secundum hanc verba eorum commode restitui possint. Lingua latina tunc temporis iam in eo erat, ut vel omnino periret, vel in linguas recentiores et singularum regionum dialectos deduceretur, ita omni fere careret lege stabili et universim recepta. Temporum inquieta indoles, doctrinarum debilis et manca conditio, eruditorum hominum habitationes instabiles et peregrinationes frequentissimae, scholarum raritas, quae certam quandam institutionis notam non admitteret, sed omnia fere ad studia privata et domestica redigeret, tenuis admodum latinae linguae cognitio apud doctissimos quoque viros, quae verbis et elocutionibus ex antiquitate servatis novissima quaeque et barbara miscere cogeret, haec omnia tam multiformem et variatam quasi dictionem apud hos scriptores induxerunt, quae in singulis scriptoribus denuo edisci et secundum eius consuetudinem diiudicari debet, cum ex aevo et patria scriptoris rite diiudicari non possit. Ipsae versuum pangendorum regulae vel prosodia antiqua, qua critice in poëtis classicis maxime adiuvatur, hac aetate, de

qua nunc loquimur, non amplius adeo stricte observabantur, quin saepe syllabarum quantitates immutarentur, et recentiorum linguarum accentus in versibus componendis prosodiae antiquae locum occuparet.

Aliud critices adiumentum apud scriptores classicae antiquitatis positum est in fontibus, ex quibus hauserunt et secundum quos multa in iis restitui possunt absque omni fere erroris periculo. Multo aliter in medii aevi scriptoribus. Fontibus hi non in genuina lectione usi sunt, uti eos forsan nunc possidemus post tot codicum accuratas collationes et collectas tot virorum eruditorum in unum scriptorem lucubrationes, sed libros veteres partim ex pessimis versionibus aut excerptis et collectionibus, partim e depravato aliquo eoque unico codice legebant, quem conferre cum aliis et ex iis corrigere non adeo facile licebat. Et permulta quoque in his fontibus vel plane non intelligebant, vel ad mentem suorum temporum interpretabantur aut etiam temere mutabant. Ita facile foret, in Macri carmine plura mutare ex Dioscoride, Galeno, et Plinio, quibus auctoribus praecipue usus est; cum vero Dioscoridem et Galenum certe non graece, sed e depravata quadam versione legerit, Plinii autem verba saepe non intellexisse vel aliter ac nos legisse coargui possit, facile patet, non temere ex his auctoribus corrigi debere Macri carmen, praesertim cum et alios auctores et ipsas ex ore populi traditiones interdum adhibuerit.

Quibus omnibus accedit adhuc illa difficultas, quod codices manuscripti multo magis variant in ipsis medii aevi auctoribus, quam in veteribus classicis. Antiquissimos hos et egregios libros non adeo facile ex proprio ingenio supplere et mutare poterant, et ideo iam integriores describebant; recentiores vero et ipso medio aevo conscriptos libros facile propriis usibus accommodabant, addendo, mutando, detrahendo, prout

optabatur vel poscebatur. Quod praecipue in metricis operibus factum est, in quibus facillime novus addi versiculus, vel antiquus demi poterat, vel etiam integra capita adiici pro ingenio et lubitu librarii; sic facile patet, posteriorem partem regiminis Salernitani (in ipsa Ackermanni editione forsan a versu 50mo vel 57mo) non unius esse auctoris vel unius collegii opus bene dispositum, sed farraginem inconcinnam variorum auctorum, collectionem quasi versuum memorialium, quos infinitos habebat et condebat illud aevum.

Si ergo ullum hisce medii aevi scriptoribus pretium apud eruditos statui potest, edenda sunt eorum opera, quantum fieri potest, eadem forma, *qua conscripta fuisse putari queant*, collata quam maxima copia codicum manuscriptorum bonae notae et remotioris aetatis, et emendatis verbis secundum has lectiones non minus quam secundum propriam ipsius scriptoris consuetudinem cogitandi et loquendi, quae multo tantum et assiduo eius studio cognosci potest. Quare semper aliqua ambiguitas in horum scriptorum contextu manebit, et dubitationi plus in iis relinquetur, quam in scriptoribus classicis.

Haec omnia ideo praemonenda esse duxi, ut excusationi mihi sint partim apud eos, qui cum auctorum medii aevi veram indolem parum habeant perspectam, non edendos eos esse putant, sed oblivioni dandos et contemtui, partim vero apud eos quoque, qui, meliora circa has res edocti, permulta adhuc in ipsa hac editione iure suo desiderabunt.

Scriptores autem ipsi, qui in hoc libello continentur, ii certe sunt, qui in medica medii aevi historia non ultimum omnino locum sibi vindicant.

Id prae ceteris valet de *Macri Floridi* carmine, quod cum summae auctoritatis fuerit a decimo inde usque ad quintum decimum saeculum, fundum quasi

constituit omnis doctrinae de simplicibus medicamentis, quatenus illo aevo floruit. Quare in historia pharmacologiae medicae (qua adhuc caremus et diu forsan adhuc carebimus) carmini illi insignis aliquis locus semper debebitur, cum admodum multa in ipsa illa historia non ex Hippocrate, Dioscoride et Galeno repeti possint, quos scilicet non legebant illius aevi medici, sed e Macro, qui illis erat instar omnium. Copia permagna codicum et editionum huius carminis id satis docet, non minus vero laudationes frequentissimae huius carminis in scriptis medicorum inde a saeculo undecimo usque ad sextum decimum obviae. Minus hoc asseverari potest de illis viginti capitibus, quae sub nomine *Spuria Macri* editio nostra exhibet; sed cum non multo iunioris aevi sint et iam in duabus editionibus simul cum Macri carmine genuino apparuissent, non commode omitti posse videbantur.

*Walafridi Strabonis* carmen, placidam quasi spirans vitae coenobialis tranquillitatem, ob aevi ipsius, quo condebatur, et ob auctoris in doctrinis theologicis celebritatem non indignum videbatur nova et accurata editione. Multum praeterea valet hoc carmen ad cognoscendam horticulturam saeculi noni et totius aevi Carolini, nec non ad melius intelligenda Caroli M. capitularia. Sermonis et rei metricae ratio melioris omnino indolis est, quam in Macri et Othonis carminibus, et iam eo illud aevum redolet, quod barbaries nondum tanta caligine oppresserat, quanta saecula proxime insequentia.

*Othonis Cremonensis* carmen hic primum prodit ita ex codice manuscripto auctum et emendatum, ut vix cum prioribus impressionibus comparari possit. Et quamvis nihil aliud sit, nisi collectio versuum memorialium ad cognoscendas proprietates et notas pharmaceuticas medicaminum, tamen ideo iam magni faciendum est, quia unicus ex illo aevo huius argu-

menti est libellus. Nam in Ioann. Platearii libro de simplici medicina (*Circa instans* etc.) et in Nicolai Praepositi antidotario non seorsim hae res sed inter alias tractantur. Notulas adieci raras, sed ut puto sufficientes, si praeter duos libros iam indicatos prolegomena mea ad Aegidium Corboliensem (Lips. 1826. 8.) inter legendum inspicientur.

*Ioannes Folcz*, tonsor Norimbergensis, poëta facetiis scenicis componendis suo aevo satis celebratus, non immerito locum inter scriptores de simplicium facultatibus sibi vindicat, cum de aromatum usu et viribus lepidum libellum composuerit, quem ex genuina ipsius auctoris editione hic exhibemus, addita simul ea impressione, quae invito auctore antea iam lucem adspexerat. Utraque exemplum praebet idiomatis Germanici, quo poëtae utebantur ante illam totius linguae emendationem, quae Luthero duce tunc proxime instabat. Similis argumenti libellos, ab eodem Folczio conscriptos (ut: *Von allen paden, die von natur heiss sein; Wem der geprant wein nutz sey oder schad; Von einem krichischen arczat; Von der pestilencz*), alia occasione lubenter edam, si mihi, quod hucusque nondum contigit, eorum inspiciendorum copia facta erit.

Singulare vero ornamentum huic editioni accessit ex *Iulii Sillígii*, amici coniunctissimi, benevolentia, qui in epistola ad me data et huic editioni subiuncta carminis graeci περὶ βοτανῶν recensionem eam exhibuit, quae quamdiu non nova eaque vetustissimorum codicum subsidia in usum vocari poterunt pro plena et absoluta haberi debebit. Eiusmodi vero subsidia sperare vetat Frid. Dietzii, medici et philologi eruditissimi, industria, qui cum in omni fere Europa codices medicos antiquos felicissimo cum successu conquireret et ipsi huic carmini propriam curam impenderet, aliud additamentum non inveniret, quam

quod ex codice Vindobonensi descriptum cum Silligio iam communicaverat Car. Weigelius, medicus apud Dresdenses spectatissimus. Cum vero me, medicum hominem et linguarum studio parum imbutum, minime deceat de docta Silligii mei lucubratione iudicium ferre, gratias ei tantum agere liceat quam maximas, quod qui inclytorum duorum Veronensium (Catulli inquam et Plinii maioris) editione iam inclaruit, etiam huic scriptori, qui et nomine caret et celebritate, solertem manum adhibere non recusavit.

Scribebam Dresdae, in vigilia Pentecostes MDCCCXXXII.

L. Ch.

# MACER FLORIDUS
# DE VIRIBUS HERBARUM,

# WALAFRIDUS STRABO
# HORTULUS,

# OTHO CREMONENSIS
# DE ELECTIONE MEDICAMENTORUM,

# HANS FOLCZ
# CONFECTBUCH.

Edidit

LUDOVICUS CHOULANT.

# PROLEGOMENA AD MACRUM FLORIDUM.

Fuit Romae sub imperii Augustei prioribus temporibus poëta Aemilius Macer Veronensis, de quo Ovidius (trist. IV. 10. v. 43):

*Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo,*
*Quaeque necet serpens, quae iuvet herba Macer,*

cuius etiam meminerunt Disticha moralia, quae Dionysio Catoni vulgo adscribuntur:

*Telluris si forte velis cognoscere cultus,*
*Virgilium legito, quod si mage nosse laboras*
*Herbarum vires, Macer tibi carmine dicet,*
*Corporis ut cunctos possis depellere morbos,*

et non minus, quamvis nomen reticuerit, Manilius (astronomicon lib. II. v. 43):

*Ecce alius pictas volucreis et bella ferarum,*
*Ille venenatos angueis, hic nata per herbas*
*Fata refert vitamque sua radice ferentes.*

Scripsit vetus ille poëta, Macer Veronensis, qui anno septimo decimo ante Christum natum fato functus esse dicitur, carmina de avibus, de serpentibus vel de animalibus venenatis, et de herbis, quae vero iniuria temporum perierunt, paucos versiculos si exceperis ab Isidoro Hispalensi (origg. lib. XII. cap. 7 et 4) servatos:

*Cygnus in auspiciis semper laetissimus ales,*
*Hunc optant nautae, quia se non mergit in undas,*

et ex carmine de serpentibus:

*— Seu terga exspirant spumantia virus,*
*Seu terrâ fumat, qua teter labitur, anguis;*

reliqua omnia penitus interiisse videntur. Carmen enim de virtutibus herbarum, quod in hac editione sub Macri Floridi nomine exhibemus, nullo modo antiqui illius Macri Veronensis esse posse, facillime evincitur partim ex eo, quod Macer Floridus auctores multo iuniores, e. g. saepissime Plinium et Galenum, citet, et ex Plinio et Dioscoride maximam carminis sui partem desumat, partim ex eo, quod non solum latinitatem et versificationem medii aevi aperte

ostendat, sed etiam aromata describat, quae non multum ante Arabum tempora innotuerunt, ut Galanga, Zedoar, Caryophylli. Cum inter auctores a Macro nostro citatos etiam Walafridus Strabo sit, qui saeculo IX claruit, aetatem huius carminis non facile ante saeculum X ponere licet. Neque vero etiam serius, cum carmen Scholae Salernitanae, quod Regimen sanitatis inscribitur, iam multos ex Macro nostro versus habeat, quos in hac editione sedulo indicavimus.

Macri Floridi nomen retinuimus, quia veteres editiones et codices manuscripti sic haberent, et etiam Guil. Gueroaldus in commentario suo non aliter carmen inscriberet. Editio Basileensis anni 1527 prima omnium est, quae *Aemilii* Macri nomen carmini praeponat. Non quidem nos fugit, nomen *Odonis* a nonnullis carminis auctori tribui, sed secuti hi sunt presso pede Gaudentium Merulam, qui (de Gallor. Cisalpinor. antiquitate et origine, Lugd. 1538. 8. pag. 75) haec habet: „*Hic libellus qui sub Macri nomine circunfertur, non huius est, sed Odonis cuiusdam medici, ut ipse vidi in codice antiquissimo; verum ut gratior iret in lucem, Macri titulo inscriptus est.*“ Codex ille quis sit et quo lateat, non indicavit Merula. Habet vero bibliotheca publica Dresdensis codicem membranaceum saeculi XIV, quo ad hanc editionem conficiendam usi sumus (vide infra cod. $\pi$.), in cuius calce legitur: „*Odonis Magdunensis opusculum de naturis herbarum explicit*,“ et similis inscriptio legebatur in alio codice, quem habet catalogus bibliothecae Gunzianae (pag. 470). Haec ergo documenta non sufficiunt, ut Odonis nomen pro Macri nomine reponamus, quod ipsum vero supposititium esse et gratiae carmini conciliandae causa, vel etiam in honorem Aemilii Macri Veronensis impositum, non negamus. Ita facile fieri posset, ut Odo quidam medicus hoc carmen de virtutibus herbarum composuerit et Macrum Floridum inscripserit. Idem fuit in Caelii Apicio.

Quomodocunque vero haec se habeant, certum est, Macri Floridi carmen summae auctoritatis et frequentissimi usus fuisse apud omnes medii aevi medicos, et in ipsius saeculi XVI decursu tantum adhuc valuisse, ut Theophrastus Paracelsus scholia et observationes in hoc carmen (Artemisia—Pastinaca) scribere aggressus sit, quae leguntur in editionis Huserianae tomo primo, pag. 1070—88; cfr. etiam pag. 1095 et 1100. Numerosissimi praeterea extant huius carminis codices manuscripti, et, ut infra videre licet, editiones non paucae.

Commentatorem nactus est Macer Floridus plenum et copiosum, ***Guillermum Gueroaldum*** scilicet, professorem medicinae in academia Cadomensi sub finem saeculi XV viventem. Commentarium suum inscripsit Gueroaldus Johanni Courtino et Natali Stephano, magistris in academia Cadomensi. In prooemio autem ita de opere suo ad lectores loquitur: „*Sed non vos ab huius ulteriori lectione deterreat, iuvenes optimi, si forte aliquid fuerit praelibatum, quod vestra non demulceat ingenia. Nam quae reliqua sunt, tam familiari prostituam interpretatione, ut vel pueruli litterarii facile capiant, eoque ordine sum prosecuturus, ut familiarem litterae ordinem textui subiiciam, nonnulla tamen cum ad medicinam tum ad oratoriam pertinentia sum* (*modo parenthesis*) *interpositurus. Adiiciamque forte nonnulla parumper digrediendo per locorum intercapedines, quae adolescentum animos poterunt oblectare.*“ Sub fine totius commentarii legitur: „*Habetis iuvenes studiosissimi Macri Floridi de viribus herbarum opusculum ab omni menda castigatissimum una cum interpretatiunculis luce meridiana longe clarissimis.*“

Constat Macri Floridi carmen capitibus LXXVII genuinis, quibus in editionibus et codicibus nonnullis spuria accedunt capita viginti, quae in nostra editione seorsim ad calcem genuini carminis exhibentur. Genuinorum capitum series, additis nominibus herbarum et notitiis literariis, haec est:

1. Artemisia (v. 1—30), a medicis medii aevi fere semper dicitur *Arthemesia*, germanica lingua olim ***Buck***, ***Bibot***, ***Biboth***, ***Bibote***, ***Bivot***, ***Bybos***, ***Beybos***, nunc ***Beifuss***; botanicis *Artemisia vulgaris*. Cfr. Dioscorides ed. Sprengel, III, 117, 118, et Matthioli comment. ed. 1558, pag. 445; Plin. hist. nat. XXV, 7; Apuleii l. de herbis ed. Ackermann, cap. 11—13; Platearii l. circa instans A. 24; Harpestreng ed. Molbech, 1826, pag. 45 (*bynkae*); Bartholom. Glanville s. Angl. de proprietatib. rer. Argent. 1485. fol., XVI, 17.

2. Abrotanum (v. 31—51), etiam *Abrotonum*, germ. olim ***Euerute***, ***Auerrute***, ***Euerwort***, ***Scauenwort***, ***Stauenwort***, ***Garteil***, nunc ***Eberraute***, ***Stabwurz***, ***Gartheil***; botan. *Artemisia abrotanum*. Cfr. Diosc. III. 26, Matthiol. p. 369; Plin. XXI, 21; Platear. A. 31; Harpestreng p. 44 (*ambrot*).

3. Absinthium (v. 52—114) s. *Absynthium*, germ. olim. ***Warmede***, ***Warmode***, ***Wermute***, ***Weremoth***, nunc

*Wermut;* botan. *Artemisia absinthium.* Cfr. Diosc. III. 23; Matthiol. p. 367; Plin. XXVII. 7; Apul. c. 100; Platear A. 19; Harpestreng pag. 42 (*malyrt*); Barth. Angl. XVII, 12.

4. Urtica (v. 115—160), germ. olim *Netele*, *Nettele*, hodie *Nessel;* botan. *Urtica pilulifera* et *dioica.* Cfr. Diosc. IV. 92, Matthiol. p. 553; Plin. XXII. 13; Regim. Salern. ed. Ackermann, c. 65, v. 200; Harpestreng p. 95 (*naetlae*); Barth. Angl. XVII, 193.

5. Allium (v. 161—195), germ. olim *Clufloch*, *Knufflok*, *Knoflouch*, *Knouelock*, *Knobelouch*, hodie *Knoblauch;* botan. *Allium sativum.* Cfr. Diosc. II. 181, Matthiol. p. 309; Plin. XIX. 6, XX. 6; Plin. Valerian. IV. 17; Platear. A, 15; Harpestreng p. 48 (*kloflok*); Barth. Angl. XVII. 11.

6. Plantago (v. 196—266), germ. olim *Weghebrede*, *Weghenbrede*, *Wegbrede*, *Schapetungge*, *Wegrich*, hodie *Wegebreit;* botan. *Plantago maior* et *lanceolata.* Cfr. Diosc. II. 152, Matthiol. p. 281; Plin. XXV. 8; Apul. c. 2.; Platear. A. 29 (*arnoglosa*); Harpestreng p. 45 (*waegbreth*); Barth. Angl. XVII, 129.

7. Ruta (v. 267—331), germ. olim *Rude*, nunc *Raute;* botan. *Ruta graveolens.* Cfr. Diosc. III. 45, Matthiol. p. 388; Plin. XX. 13.; Plin. Valer. IV. 3; Regim. Salern. c. 61, v. 185; Apul. c. 89 et 115; Platear. R. 7; Harpestreng p. 87; Barth. Angl. XVII. 141.

8. Apium (v. 332—365), germ. olim *Merk*, *Merck*, *Merch*, *Epphen*, *Epf*, nunc *Eppich*, *Selleri;* botan. *Apium graveolens.* Cfr. Diosc. III. 67, Matthiol. p. 403; Plin. XX. 11; Plin. Valer. IV. 2; Apul. c. 118; Platear. A. 8; Harpestreng p. 47 (*maerky*); Barth. Angl. XVII. 13.

9. Althaea (v. 366—394), germ. olim *Ibisch*, nunc *Eibisch;* botan. *Althaea officinalis.* Cfr. Diosc. III. 153, Matthiol. p. 472; Plin. XX. 21; Apul. c. 39; Harpestreng p. 49.

10. Anethum (v. 395—428), germ. olim *Dil*, *Dille*, *Tille*, *Dyl*, nunc *Dill;* botan. *Anethum graveolens.* Cfr. Diosc. III. 60, Matthiol. p. 397; Plin. XX. 18; Plin. Valer. IV. 27; Apul. c. 121; Platear. A. 13; Harpestreng p. 100. (*dyllae*); Barth. Angl. XVII, 9.

11. Betonica (v. 429—491), germ. olim *Batonie*, *Battonie*, *Betenie*, *Betonien*, nunc *Betonie;* botan. *Betonica officinalis.* Cfr. Diosc. IV. 1, Matthiol. p. 481; Plin. XXV. 8; Antonio Musae falso adscriptus liber de herba vetonica,

Tiguri, 1537. 4.; Platear. B. 7; Harpestreng p. 103 (*iorthumblae*).

12. Sabina (v. 492—506), germ. olim. *Seuenboem*, *Zeuenbom*, *Sevenbaum*, *Sauenbom*, *Sadenboum*, nunc *Sadebaum;* botan. *Juniperus Sabina.* Cfr. Diosc. I. 104, Matthiol. p. 92; Plin. XXIV. 11; Apul. c. 85.; Platear. S. 27; Harpestreng p. 127.

13. Porrum (v. 507—548), germ. olim *Lock*, *Ghemene loch*, *Louch*, nunc *Lauch*, *Gemeiner Lauch*, *Porrei;* botan. *Allium porrum.* Cfr. Diosc. II. 178, Matthiol. p. 306; Plin. XX. 6; Plin. Valer. IV. 20; Regim. Salern. c. 74, v. 225 sq.; Harpestreng p. 80 (*purlok*); Barth. Angl. XVII. 133.

14. Chamomilla (v. 549—591), germ. olim *Meghedeblomen*, *Hundesblomen*, *Camellen*, *Hermeln*, nunc *Chamillen;* botan. *Matricaria chamomilla.* Cfr. Diosc. III. 144, Matthiol. p. 466; Plin. XXII. 21.; Harpestreng p. 109 (*hwithwith*).

15. Nepeta (v. 592—625), germ. olim *Catzencrut*, *Catsencrut*, *Korenminte*, *Corenmynte*, *Siminte*, *Seeminte*, *Bachmintze*, *Reynmintze;* hodie *Katzenminze;* botan. *Nepeta cataria.* Cfr. Diosc. III, 37, Matthiol. p. 381; Plin. XX. 14.; Plin. Valer. IV. 22; Platear. (*calamentum*) C. 9.; Harpestreng p. 107 (*naepta*, *katthemynthe*); Barth. Angl. XVII. 34.

16. Pulegium (v. 626—677), germ. *Polei;* botan. *Mentha pulegium.* Cfr. Diosc. III. 33, Matthiol. p. 375; Plin. XX. 14.; Regim. Salern. c. 69, v. 213. sq.; Apul. c. 92.; Platear. P. 16.; Harpestreng p. 82 (*pulegy*); Barth. Angl. XVII. 132.

17. Feniculum (v. 678—710), germ. olim *Venekoel*, *Venchol*, *Fenchil;* hodie *Fenchel;* botan. *Anethum feniculum.* Cfr. Diosc. III. 74, Matthiol. p. 407; Plin. XIX. 9, XX. 23; Plin. Valer. IV. 24; Regim. Salern. c. 49, v. 150; Apul. c. 124; Platear. F. 7.; Harpestreng p. 66 (*faenikael*); Barth. Angl. XVII. 70.

18. Acidula (v. 711—747), germ. *Hauslaub*, *Hauslauch;* botan. *Sempervivum* et *Sedum.* Cfr. Diosc. IV. 88, 89, Matthiol. p. 550; Plin. XXV. 13; Apul c. 123; Platear. S. 10; Harpestreng p. 101 (*surae*).

19. Portulaca (v. 748—764), germ. olim *Borghele*, *Borgele*, *Burgel*, *Hanenvot*, *Hanenvoed*, nunc *Portulak;* botan. *Portulaca oleracea.* Cfr. Diosc. II. 150, Matthiol. p. 279; Plin. XIII, 22; Apul. c. 103; Platear. P. 15; Harpestreng p. 123.

20. Lactuca (v. 765—775), germ. olim *Lattek*, *Lattichen*, nunc *Lattich;* botan. *Lactuca sativa.* Cfr. Diosc. II. 164, Matthiol. p. 295; Plin. XIX. 8.; Platear. L. 10.; Harpestreng p. 74 (*lectukae*); Barth. Angl. XVII. 92.

21. Rosa (v. 776—807) germ. *Rose*, *Hagebutte;* botan. *Rosa centifolia.* Cfr. Diosc. I. 130, Matthiol. p. 125; Plin. XXI. 4, 19; Platear. R. 1; Harpestreng p. 88; Barth. Angl. XVII. 136.

22. Lilium (v. 808—842), germ. *Lilie*, *weisse Lilie*, botan. *Lilium album.* Cfr. Diosc. III. 106, Matthiol. p. 433; Plin. XXI. 5, 19; Apul. c. 107; Platear. L. 4; Harpestreng p. 73 (*lylium*, *lyliae*); Barth. Angl. XVII. 91.

23. Satureia (v. 843—869), germ. olim *Konele*, *Gartkonele*, *Stantwort*, *Pepcrut*, nunc *Pfefferkraut;* botan. *Satureia hortensis.* Cfr. Diosc. III. 39, Matthiol. p. 383; Plin. XIX. 8; Plin. Valer. IV. 19; Platear. S. 38; Harpestreng p. 91 (*sathaer*).

24. Salvia (v. 870—881), germ. olim *Selue*, *Zelve*, *Salwe*, *Salveye*, nunc *Salbei*, botan. *Salvia officinalis.* Cfr. Diosc. III. 35, Matthiol. p. 378; Plin. XXVI. 6; Regim. Salern. c. 60, v. 178 sq.; Apul. c. 101; Platear. S. 34; Harpestreng p. 89.

25. Ligusticum (v. 882—906), germ. olim *Wedewinde*, *Lubbesticke*, *Löbestückel*, nunc *Liebstöckel;* botan. *Ligusticum levisticum.* Cfr. Diosc. III. 51, Matthiol. p. 393; Plin. XX. 15; Platear. L. 16; Harpestreng p. 116 (*louaestykae*).

26. Ostrutium (v. 907—927), botan. *Saponaria officinalis? Imperatoria ostrutium?* Cfr. Diosc. II. 192 (στρούθιον), Matthiol. p. 319; Plin. XIX. 3, XXIV, 11; Platear. S. 22; Harpestreng p. 123 (*ostriz*).

27. Cerefolium (v. 928—946), germ. olim *Keruelde*, *Keruele*, nunc *Kerbel*; botan. *Scandix cerefolium.* Cfr. Diosc. II. 167, Matthiol. p. 297; Plin. XXII. 22; Plin. Valer. IV. 37; Regim. Salern. c. 67, v. 207 sq.; Apul. c. 104; Harpestreng p. 58 (*kyruael*).

28. Atriplex (v. 947—956), germ. *Melde*, *Melte;* botan. *Atriplex — ?* Cfr. Diosc. II. 145, Matthiol. p. 273; Plin. XX. 20; Plin. Valer. IV. 7; Harpestreng p. 101 (*meld*).

29. Coriandrum (v. 957—987), germ. *Koriander;* botan. *Coriandrum sativum.* Cfr. Diosc. III. 64, Matthiol. p. 400; Plin. XX. 20; Plin. Valer. IV. 4; Platear. C. 33; Harpestreng p. 107; Barth. Angl. XVII. 39.

30. Nasturtium (v. 988—1015), germ. *Kerse*, *Kresse;* botan. *Lepidium sativum.* Cfr. Diosc. II. 184, Matthiol.

p. 312; Plin. XX. 13; Plin. Valer. IV. 12; Regim. Salern. c. 70, v. 215 sq.; Apul. c. 21; Platear. N. 1; Harpestreng p. 121 (*karsae*).

31. Eruca (v. 1016—1036), germ. olim *Wit Senep*, nunc *Weisser Senf;* botan. *Brassica eruca.* Cfr. Diosc. II. 169, Matthiol. p. 299; Plin. XX. 13; Plin. Valer. IV. 13; Platear. E. 10; Harpestreng p. 65 (*akerkaal*); Barth. Angl. XVII. 57.

32. Papaver (v. 1037—1086), germ. olim *Moe*, *Maen*, *Man*, nunc *Mohn*; botan. *Papaver somniferum.* Cfr. Diosc. IV. 65, Matthiol. p. 525; Plin. XX. 18.; Plin. Valer. IV, 18; Platear. P. 4; Harpestreng p. 83 (*walmuae*); Barth. Angl. XVII. 128.

33. Cepa (v. 1087—1126), germ. olim *Cipolle*, nunc *Zwiebel;* botan. *Allium cepa.* Cfr. Diosc. II. 180, Matthiol p. 307; Plin. XX. 5; Plin. Valer. IV. 26; Regim. Salern. c. 62, v. 190 sq.; Platear. C. 36; Harpestreng p. 57 (*cypul*); Barth. Angl. XVII. 43.

34. Buglossa (v. 1127—1138), germ. *Ochsen-Zunge;* botan. *Anchusa Italica.* Cfr. Diosc. IV. 126, Matthiol. p. 577; Plin. XXV. 8, XXVI. 11; Apul. c. 42; Harpestreng p. 105 (*torth skraeppae*).

35. Sinapi (v. 1139—1200), germ. olim *Senap*, *Senep*, *Senepp*, nunc *Senf;* botan. *Sinapis nigra.* Cfr. Diosc. II. 183, Matthiol. p. 311; Plin. XX. 22; Plin. Valer. IV. 28; Regim. Salern. c. 63, v. 196 sq.; Platear. S. 15; Harpestreng p. 89 (*synaep*); Barth. Angl. XVII. 155.

36. Caulis (v. 1201—1263), germ. olim *Koel*, *Kölen*, nunc *Kohl;* botan. *Brassica oleracea.* Cfr. Diosc. II. 146, Matthiol. p. 276; Plin. XIX. 8. XX. 9; Plin. Valer. IV. 29; Regim. Salern. c. 57, v. 171 sq.; Harpestreng p. 59 (*kaal*).

37. Pastinaca (v. 1264—1284), germ. *Pasternak*, *Pastinak*; botan. *Pastinaca sativa.* Cfr. Diosc. III. 73 (ἐλαφόβοσκον), Matthiol. p. 407; Plin. XX. 4; Plin. Valer. IV. 32; Apul. c. 80?; Harpestreng p. 80? (*morae*).

38. Origanum (v. 1285—1324), germ. olim *Velthoppe*, *Toste*, nunc *Dost;* botan. *Origanum vulgare.* Cfr. Diosc. III. 29, Matthiol. p. 373 (*Orig. heracleoticum*); Plin. XX. 16, 17; XXI. 10; Plin. Valer. IV. 36; Apul. c. 122; Platear. O. 4; Harpestreng p. 122 (*kunung*).

39. Serpillum (v. 1325—1341), germ. olim *Veltkonele*, hodie *Feldkümmel*, *Quendel;* botan. *Thymus Serpillum.* Cfr. Diosc. III. 40, Matthiol. p. 384; Plin. XX. 22; Plin. Valer. IV. 38; Apul. c. 99; Platear. S. 37; Harpestreng p. 126 (*kolnae*).

40. VIOLA (v. 1342—1395), germ. olim *Fiolen*, *Fieln*, hodie *Veilchen;* botan. *Viola odorata.* Cfr. Diosc. IV. 120, Matthiol. p. 574; Plin. XXI. 6, 19; Regim. Salern. c. 64, v. 198 sq.; Platear. V. 1; Harpestreng p. 96; Barth. Angl. XVII. 191.

41. ARISTOLOCHIA (v. 1396—1436), germ. olim. *Holwort*, nunc *Hohlwurz*, *Osterluzei;* botan. *Aristolochia longa*, *rotunda* et *Clematitis.* Cfr. Diosc. III. 4, Matthiol. p. 347; Plin. XXV. 8; Apul. c. 20; Platear. A. 22; Harpestreng p. 50 (*holyrt*); Barth. Angl. XVII. 14.

42. MARRUBIUM (v. 1437—1455), germ. olim *Godvergheten*, *Gotvorgeten*, *Wytander*, nunc *Weisser Andorn;* botan. *Marrubium vulgare.* Cfr. Diosc. III. 109, Matthiol. p. 436; Plin. XX. 22; Apul. c. 46; Platear. M. 14; Harpestreng p. 120 (*blindae naetlae*).

43. IRIS (v. 1456—1488), germ. olim *Sverdel*, *Swertil*, *blaue Lilien*, hodie *Schwertlilie;* botan. *Iris Germanica* et *Florentina.* Cfr. Diosc. I. 1, Matthiol. p. 17; Plin. XXI. 7. 20; Platear. J. 4; Harpestreng p. 131.

44. ENULA (v. 1489—1502), germ. *Alant;* botan. *Inula Helenium.* Cfr. Diosc. I. 27, Matthiol. p. 52; Plin. XXI. 10, 21; Regim. Salern. c. 68, v. 210 sq.; Apul. c. 95; Platear. E. 2; Harpestreng p. 112 (*halzyrt*); Barth. Angl. XVII. 58.

45. HYSSOPUS (v. 1503—1531), germ. *Ysop;* botan. *Hyssopus officinalis.* Cfr. Diosc. III. 27, Matthiol. p. 371; Plin. XXVI. v. l.; Regim. Salern. c. 66, v. 204 sq.; Platear. J. 2; Harpestreng p. 97; Barth. Angl. XVII. 85.

46. ASARUM (v. 1532—1568), germ. olim *Haselwort*, nunc *Haselwurz;* botan. *Asarum Europaeum.* Cfr. Diosc. I. 9, Matthiol. p. 29; Plin. XXI. 6, 19; Platear. A. 32; Harpestreng p. 129 (*ulgago*).

47. MENTHA (v. 1569—1584), germ. olim *Minte*, *Minthe*, *Myntze*, nunc *Minze;* botan. *Mentha* (*crispa*). Cfr. Diosc. III. 36, Matthiol. p. 379; Plin. XX. 14; Plin. Valer. IV. 23; Regim. Salern. c. 59, v. 176; Apul. c. 120; Platear. M. 6; Harpestreng p. 75 (*myntae*); Barth. Angl. XVII. 106.

48. CYPERUS (v. 1585—1604), germ. *Wilder Galgant*, botan. *Cyperus longus.* Cfr. Diosc. I. 4, Matthiol. p. 22; Plin. XXI. 18; Platear. C. 23; Harpestreng p. 109.

49. PAEONIA (v. 1605—1640), germ. *Gichtwurz*, *Benedictrose;* botan. *Paeonia officinalis.* Cfr. Diosc. III. 147, Matthiol. p. 468; Plin. XXV. 4, XXVII. 10; Apul. c. 64; Platear. P. 3; Harpestreng p. 124.

50. MELISSOPHYLLUM (v. 1641—1663), germ. *Melisse;* botan. *Melissa officinalis.* Cfr. Diosc. III. 108, Matthiol.

p. 435; Plin. XXI. 20; Platear. M. 22; Harpestreng p. 118 (*miothyrt*, *marochus*), quamvis in hoc capite de marocho initium solummodo cum Macri capite de melissophyllo conveniat, reliqua huius capitis eadem sint, quae Macer de dracontea narrat.

51. Senecio (v. 1664—1689), germ. *Kreuzwurz*; botan. *Senecio vulgaris*. Cfr. Diosc. IV. 95 (ἠριγέρων), Matthiol. p. 556; Plin. XXV. 13; Apul. c. 75; Platear. S. 35.

52. Chelidonia (v. 1690—1708), germ. olim *Schelwort*, *Goldwort*, nunc *Schöllkraut;* botan. *Chelidonium maius*. Cfr. Diosc. II. 211, Matthiol. p. 336; Plin. XXV. 8; Regim. Salern. c. 71, v. 218 sq.; Apul. c. 73; Platear. C. 32; Harpestreng p. 56 (*braenyrt*); Barth. Angl. XVII. 46.

53. Centaurea (v. 1709—1727), germ. olim *Aurin*, *Erdgalle*, nunc *Tausendgüldenkraut;* botan. *Erythraea Centaurium*. Cfr. Diosc. III. 7, Matthiol. p. 352; Plin. XXV. 6; Apul. c. 36; Platear. C. 10; Harpestreng p. 64; Barth. Angl. XVII. 47.

54. Colubrina (v. 1728—1765), germ. olim *Naderwort*, *Adderenkrut*, *Otterwort*, nunc *Natterwurz*, botan. *Arum* — ? Cfr. Diosc. II. 195, 196 (δρακοντία μεγάλη et ἑτέρα), Matthiol. p. 321; Plin. XXIV. 16; Apul. c. 15; Platear. S. 33 (*serpentaria*); Harpestreng p. 112 (*dracontea*); Barth. Angl. XVII. 50.

55. Gaisdo (v. 1766—1773), germ. *Waid;* botan. *Isatis tinctoria*. Cfr. Diosc. II. 215, Matthiol. p. 339; Plin. XX. 7; Apul. c. 69. *Glastum* vox Celtica est (Plin. XXII. 1, Caes. bell. Gall. V. 14), ex qua prodiit Gallorum *Gaisdon*, Italorum *Guado*, Germanorum *Waid*, herbae tinctoriae nomina.

56. Elleborus albus (v. 1774—1832), germ. *Weisse Nieswurz;* botan. *Veratrum album*. Cfr. Diosc. IV, 148, Matthiol. p. 590; Plin. XXV. 5; Platear. E. 8; Harpestreng p. 113 (*thung*); Barth. Angl. XVII. 55.

57. Elleborus niger (v. 1833—1858), germ. *Schwarze Nieswurz;* botan. *Helleborus niger*. Cfr. Diosc. IV. 149, Matthiol. p. 591; Plin. Platear. Harp. Barth. loc. cit.

58. Verbena (v. 1859—1902), germ. *Eisenhart*, *Eisenkraut*; botan. *Verbena officinalis*. Cfr. Diosc. IV. 60. 61, Matthiol. p. 523; Plin. XXV. 9; Apul. c. 4; Harpestreng p. 130 (*iaernyrt*).

59. Chamaedrys (v. 1903—1917), germ. *Gamander;* botan. *Teucrium chamaedrys*. Cfr. Diosc. III. 102, Matthiol. p. 431; Plin. XXIV. 15 (*trissago*); Apul. c. 25; Platear. C. 17; Harpestreng p. 71 (*germandrea*).

60. Maurella (v. 1918—1932), germ. *Nachtschatten;* botan. *Solanum nigrum?* Cfr. Diosc. IV. 71 (στρύχνος κηπαῖος), Matthiol. p. 531; Plin. XXVII. 13; Apul. c. 74 (*solata* s. *strychnum*); Platear. S. 2 (*solatrum*); Harpestreng p. 76 (*haelghaebaer*).

61. Iusquiamus (v. 1933—1961), germ. *Bilse, Bilsenkraut;* botan. *Hyoscyamus* (*niger*). Cfr. Diosc. IV. 69, Matthiol. p. 529; Plin. XXV. 4 (*appollinaris herba*); Apul. c. 5.; Platear. J. 1; Harpestreng p. 116 (*bylne*); Barth. Angl. XVII. 87.

62. Malva (v. 1962—1992), germ. *Pappel, Malve;* botan. *Malva silvestris* et *rotundifolia.* Cfr. Diosc. II. 144, Matthiol. p. 272; Plin. XX. 21; Plin. Valer. IV. 5; Regim. Salern. c. 58, v. 173 sq.; Apul. c. 41; Platear. M. 4; Harpestreng p. 75 (*salyrt*); Barth. Angl. XVII. 107.

63. Lapathum (v. 1993—2014), germ. olim *Scorfflodike, Horladeke,* nunc *Grindwurz;* botan. *Rumex — ?* Cfr. Diosc. II. 140, Matthiol. p. 269; Plin. XX. 21; Plin. Valer. IV. 8; Apul. c. 14; Platear. L. 8; Harpestreng p. 117 (*skraeppae*); Barth. Angl. XVII. 94.

64. Lolium (v. 2015—2028), germ. *Lolch;* botan. *Lolium temulentum.* Cfr. Diosc. II. 122, Matthiol. p. 257; Plin. XVIII. 17 (*aera*), XXII. 25 (*farina aerina*); Harpestreng p. 118 (*klyntae*).

65. Cicuta (2029—2055), germ. *Schierling;* botan. *Conium maculatum.* Cfr. Diosc. IV. 79, Matthiol. p. 542; Plin. XXV. 13; Platear. C. 22; Harpestreng p. 110 (*othyrt*).

66. Piper (v. 2056—2085), germ. olim *Peper,* nunc *Pfeffer,* botan. *Piper longum* et *nigrum.* Cfr. Diosc. II. 188, Matthiol. p. 314; Plin. XII. 7; Regim. Salern. c. 75, v. 227 sq.; Platear. P. 2; Harpestreng p. 85 (*pipaer*); Barth. Angl. XVII. 131.

67. Pyrethrum (v. 2086—2108), germ. *Bertram;* botan. *Anthemis pyrethrum.* Cfr. Diosc. III. 78, Matthiol. p. 412; Plin. XXVIII. 9; Platear. P. 1; Harpestreng p. 85 (*baertram*).

68. Zingiber (2109, 2110), germ. olim *Engeuer, Engefer,* nunc *Ingwer;* botan. *Zingiber officinale.* Cfr. Diosc. II. 189, Matthiol. p. 316; Plin. XII. 7; Platear. Z. 1; Harpestreng p. 98 (*ingifaer*); Barth. Angl. XVII. 195.

69. Cyminum (v. 2111—2124), germ. *Römischer Kümmel;* botan. *Cuminum Cyminum.* Cfr. Diosc. III. 61, Matthiol. p. 398; Plin. XX. 14, 15; Platear. C. 20; Harpestreng p. 61 (*thythest kumyn*); Barth. Angl. XVII. 38.

70. Galanga (v. 2125—2130), germ. olim *Galegan, Galgan,* nunc *Galgant;* botan. *Alpinia Galanga.* Cfr.

Matthiol. p. 21 (in commentario); Platear. G. 3; Harpestreng p. 70 (*galliga*).

71. Zedoar (v. 2131—2140), germ. *Zittwer;* botan. *Curcuma Zedoaria.* Cfr. Matthiol. p. 317 (in commentario); Platear. Z. 3; Harpestreng p. 99 (*zedwar*, *zeduar*); Barth. Angl. XVII. 196.

72. Gariofilus (v. 2141—2146), germ. *Nägelein, Gewürznelken;* botan. *Eugenia caryophylluta.* Cfr. Matthiol. p. 315 (in commentario); Plin. XII. 7.; Platear. G. 1; Harpestreng p. 70 (*gorfaers naghlae*, *gerfaersnaulae*); Barth. Angl. XVII. 79.

73. Cinnamum (v. 2147—2164), germ. *Zimmt;* botan. *Laurus cinnamomum.* Cfr. Diosc. I. 13, Matthiol. p. 33; Plin. XII. 19; Platear. C. 16; Harpestreng p. 61 (*kaniel*, *caniael*); Barth. Angl. XVII. 26.

74. Costus (v. 2165—2181), germ. *Kostenwurz;* botan. *Costus Arabicus.* Cfr. Diosc. I. 15, Matthiol. p. 39; Plin. XII. 12; Platear. C. 28; Harpestreng p. 63.

75. Spica (v. 2182—2203), germ. *Spicanarden*; botan. *Valeriana Iatamansi* et *Celtica.* Cfr. Diosc. I. 6. 7, Matthiol. p. 24, 27; Plin. XII. 12; Platear. S. 1; Harpestreng p. 92; Barth. Angl. XVII. 110.

76. Thus (v. 2204—2232), germ. olim *Wirok*, nunc *Weihrauch;* botan. *Boswellia thurifera?* Cfr. Diosc. I. 81, Matthiol. p. 71; Plin. XII. 14; Platear. O. 9 (*olibanum*); Harpestreng pag. 93 (*rokelso*, *rekaelse*); Barth. Angl. XVII. 173.

77. Aloë (v. 2233—2269), germ. *Aloë;* botan. *Aloë Succotrina.* Cfr. Diosc. III. 22, Matthiol. p. 365; Plin. XXVII. 4; Platear. A. 1; Harpestreng p. 52; Barth. Angl. XVII. 5, 6.

Horum capitum series diversissima est in diversis codicibus manuscriptis et editionibus; recepimus in nostram editionem ordinem antiquiorem et usitatiorem, quem etiam Gueroaldi commentarius sequitur. Numerus quoque capitum variat, uti videre licet in descriptione codicum et editionum.

Duodeviginti ex his herbis simul in Macri Floridi carmine et in Regimine Salernitano singulis capitibus tractantur: *Urtica*, *Ruta*, *Porrum*, *Pulegium*, *Feniculum*, *Salvia*, *Cerefolium*, *Nasturtium*, *Cepa*, *Sinapi*, *Caulis*, *Viola*, *Enula*, *Hyssopus*, *Mentha*, *Chelidonia*, *Malva*, *Piper*, quamvis non in omnibus hisce capitibus redeant versus ex Macri carmine. Ubi vero id fiat, indicatum est a nobis in notulis textui subiunctis.

Carminis nostri materia desumta fere est ex antiqua versione Dioscoridis et Galeni et prae ceteris ex Plinii historia naturali, quare multi auctores a Macro citantur, quorum Plinius vel Dioscorides mentionem fecit. Cave vero credas, nil aliud in hoc carmine contineri, quam quae Plinius et Dioscorides iam habeant, insunt et alia nonnulla ex medicina medii aevi desumta, et ea, quae antiquis iam nota erant, delectu quodam et ordine in novam formam redacta sunt ad mentem illius saeculi.

Scriptores autem, qui in Macri Floridi carmine laudantur, hi sunt:

*Anaxilaus* v. 2045.
*Apollodorus* v. 1588.
*Asclepius* v. 550, 1092.
*Cato* v. 1205 — 1224.
*Chrysippus* v. 1225.
*Diocles* v. 177.
*Dioscorides* v. 1088, 1103, 1628, 1964.
*Galenus* v. 158, 955, 959, 1090, 1618, 1624.
*Hippocrates* v. 173, 508, 1814.
*Iustus* v. 1389.
*Melicius?* v. 1262.
*Menemachus?* v. 486, 1166.
*Olympias* v. 1978.
*Oribasius* v. 506, 2255.
*Palladius* v. 802.
*Philo* v. 1812.
*Plinius Secundus* v. 17, 107, 264, 471, 483, 488, 580, 764, 1179, 1394, 1433, 1662, 1676, 1689, 1694, 1797, 1825, 1856, 1887, 1897.
*Praxagoras* v. 180.
*Pythagoras* v. 1139.
*Sextus Niger* v. 1963.
*Strabus* v. 900, 906.
*Themison* v. 265, 1825.
*Xenocrates* v. 984.

Citantur e Macri nostri carmine versus plurimi, imo integra interdum capita, in *Vincentii Bellovacensis speculo naturali*, et quidem in eius libro X: artemisia capite 39, buglossa c. 44, melissophyll. c. 102, maurella c. 103, acidula c. 132, senec. c. 133, beton. c. 152; libro XI: abrotan. c. 12, atripl. c. 26, caul. c. 47, cepa c. 50, cerefol. c. 51, enula c. 67, fenic. c. 70, galang. c 73, lactuc. c. 76, ligust. c. 81, lil. c. 84. malva c. 89, mentha c. 95, nasturt.

c. 100, nepeta c. 101, origan. c. 108, papav. c. 111, pastin. c. 112, porr. c. 118, portul. c. 120, puleg. c. 122, rosa c. 134, 135, ruta c. 139, salvia c. 140, satur., c. 142, allium c. 144, serpill. c. 148, sinap. c. 150, ostrut. c. 155, viola c. 161, urtica c. 164, iris c. 167, hyssop. c. 169, zedoar c. 170, zingib. c. 172; libro XII: aneth. c. 2, cimin. c. 11, fenic. c. 14, lactuc. c. 16, nigell. c. 20, sinap. c. 29, urtic. c. 30, aloë c. 115; libro XIV: cinnam. c. 70, thus c. 111, libro XV: gariofil. c. 35, piper c. 65. Desunt ergo e Macri capitibus genuinis 26 et spuria omnia; usi sumus editione perantiqua s. l. e. a. (Argentor. ap. J. Mentelin, 1473 sq. fol.) in textu conferendo.

Macri Floridi carmen inde ab initiis artis typographicae usque ad finem saeculi XVI saepius typis excusum est, et ita quidem ut antiquiores editiones vel textum nudum exhiberent, vel simul cum Gueroaldi commentario, additis plerumque etiam iconibus rudioribus ligno incisis. Secutae tunc sunt editiones duae, quas curavit Atrocianus, meliori orthographia et interpunctione novoque commentario conspicuae, serie capitum antiqua conservata. Hanc seriem turbant et nova eaque spuria capita addunt editiones Cornarii et Ranzovii, receptis insuper in priorem Marbodaei, in posteriorem Sereni Samonici carminibus. Editiones duae Pictorianae textum pessime deturpant, sed antiquum numerum et ordinem capitum retinent. Omnes ***Editiones Macri Floridi impressae*** inter rariores libros numerantur; sunt autem sequentes:

***Neapoli***, 1477. ***fol. min.*** Editio princeps, absque titulo, signaturis, custodibus et paginarum numeris, pagina plena continet 30 lineas, litteris rotundis; folia adsunt 45, quorum primum album, uti patet ex plagularum registro. Folio 2[a] legitur: ***Incipit liber Macri philosophi in quo tractat de naturis qualitatibus et virtutibus Octuagintaocto herbarum et primo de Arthemesia. (H)Erbarum quasdam dicturus carmine vires*** etc. et sic sequuntur reliqui versus, capitum inscriptionibus distincti. Folio 45[a] legitur: ***Liber Macri Philosophi De virtutibus herbarum finit foeliciter. Neapoli impressus per Arnoldum de Bruxella. Anno Millesimo quadringentissimo*** (sic) ***septuagesimo septimo die vero nona mensis Maii.*** Folium 45[b] habet Registrum plagularum et dein: ***Finis registri. Arnoldus de Burxella*** (sic). Series capitum in hac editione haec est: 1 artemis., 2 abrotan., 3 absinth., 4 urtica, 5 allium, 6 ruta, 7 apium, 8 savina, 9 hyssop., 10 enula, 11 salvia, 12 fenicul., 13 lactuca, 14 rosa, 15 plantago, 16 viola, 17 aristoloch., 18 marrub., 19 iris, 20

althaea, 21 aneth., 22 beton., 23 porrum, 24 chamom., 25 nepeta, 26 puleg., 27 acidula, 28 portulaca, 29 lilium, 30 satureia, 31 ligust., 32 ostrut., 33 cerefol., 34 atripl., 35 coriandr., 36 nasturt., 37 eruca, 38 papaver, 39 cepa, 40 buglossa, 41 sinapi, 42 caules, 43 pastinaca, 44 origan., 45 serpill., 46 asar., 47 haematites, 48 mentha, 49 cyper., 50 paeon., 51 borag., 52 senecion, 53 chelidon., 54 centaur., 55 dragont., 56 gaisdo, 57 elleb. alb., 58 elleb. nig., 59 verbena, 60 germandr., 61 maurella, 62 iusquiam., 63 malva, 64 lapacium, 65 lolium, 66 cicut., 67 rosmarin., 68 pimpinella, 69 tormentilla, 70 quinquefolium, 71 dictamnus, 72 tithymalus, 73 rafanus, 74 consolida, 75 piper, 76 pyrethr., 77 zinzib., 78 cymin., 79 galang., 80 zedoar, 81 garofil., 82 cinnam., 83 cost., 84 spica, 85 thus, 86 aloë. Miraberis hic tantum octoginta sex capita enumerari, cum in inscriptione libri octoginta octo promittantur, sed forsan Plantago et Aristolochia quatuor capita efficiunt, scilicet plantago maior et minor, et aristolochia longa et rotunda, forsan caput de Spica in duo capita divisum est, scorsim scilicet actum de spica indica et de spica celtica. Diiudicet haec, cui editio ipsa, mihi nunquam visa, ante oculos erit; asservatur vero Monachii in bibliotheca regia. Praeter capita genuina Macri tractatur ergo in hac editione etiam de haematite (lapide), de roremarino, de pimpinella, de tormentilla, de quinquefolio, de dictamno, de tithymalo et de rafano, quae capita non recurrunt in Cornarianae editionis libro quarto. Cfr. Panzer annal. typogr. vol. 2. pag. 158; Ebert bibl. Lexic. n. 12611; Hain repert. bibl. n. 10420.

*Mediolani*, 1482. 4. Charactere rotundo impressa, sine paginarum numeris. Inscribitur: *Macer de usibus herbarum versu heroico;* incipit ab artemisia; in fine legitur: *Antonius Zarotus Parmensis impressit Mediolani MCCCCLXXXII. die XIX. Novembris.* Cfr. Panzer annal. typ. vol. 2. pag. 45; Ebert bibl. Lex. n. 12612; Hain repert. bibl. n. 10421.

*S. l. e. a.* 4. Gothico charactere, cum figuris plantarum xylographicis et signatura a—g, sine cust. et paginar. numeris; pagina plena habet 33 ad 34 lineas. Folia adsunt 52; fol. $1^a$ habet inscriptionem *Macer floridus*, infra hanc posita est icon xylographica monachum scribentem referens, infra quam legitur: *De viribus herbarum;* fol. $1^b$ eadem icon; fol. $2^a$ legitur: *Incipit liber Macri de viribus herbarum. Et primo de Arthemisia*, sequitur icon artemisiae et tunc *Herbarum quasdam dicturus* etc. Fol. $51^b$: *Una diagridii sic apta solutio fiet. Finis.;* fol. $52^a$: *Herbarum varias qui vis cognoscere vires Macer adest disce: quo duce doctus eris*, infra icon xylographica eadem quae in titulo; fol. $52^b$ album. Capitum series ea est, quam etiam in nostra editione secuti sumus; adsunt indices marginales,

sed neque praefatio, neque commentarius; textus vulgatam lectionem constituit, mendis typographicis interdum turbatus. Coloniae impressam esse Hainius autumat (repert. bibl. n. 10417), Galliae vero Ebertus et quidem circa 1500 vel 1510 (bibl. Lex. n. 12614); quam vero Hainius sub. n. 10418 habet editionem, hanc puto eandem esse cum nostra, quod facile patet ex Panzeri annal. typogr. IV. 156.

*S. l. e. a.* 4. Goth. charact., cum figg. iisdem xylogr. plantar., sign. a—g, sine cust. et pagg. numeris, 33 vel 34 linear. in pagina plena. Folia adsunt 52; fol. 1[a]: *Macer floridus de viribus herbarum;* infra eadem icon ut in priori, scilicet monachus scribens. Omnia reliqua ut in proxime praecedente editione (cfr. Ebert l. c.); recentiorem vero esse patet ex icone tituli, margine eiusdem non amplius integro.

*S. l. e. a.* 4. Goth. char. c. figg. xylogr. plantar.; pagina plena habet 38 lineas; cfr. Ebert n. 12613; Hain n. 10419. (Nisi forsan eadem editio est, quae proxime praecedens, cum unicum discrimen sit in numero linearum, qui facile error esse potest in catalogo biblioth. Ducis de la Vallière, tom. I. pag. 455, n. 1536.)

*Venet.*, 1506. 4., *impr. per Bernardinum Venetum de Vitalibus.* Charact. rotundo, foliis 48; titulus est: *Macri Philosophi de virtutibus herbarum noviter inventus ac impressus;* in fine legitur: *Liber Macri Philosophi de virtut. herb. et qualitatibus specierum finit feliciter. Venet. etc.* Tractatus de speciebus neutiquam huic editioni primum adiectus est, uti Boernerus (noct. Guelph. p. 122) falso habet, sed nil aliud sub his speciebus intelligitur, quam quae a Macro nostro inde a capite LXVI usque ad finem exhibentur, nostrae editionis versus 2056 ad 2269. Haec editio repetita est ab eodem typographo: *Venet.*, 1508. 4., *die* 10. *Junii.*

*Cadomi*, 1509. 8., *ere et impens. Mich. Angier et Jo. Mace*, *opera vero Laur. Hostingue.* Gothico charactere. Prima esse dicitur editio cum commentariis Guillermi Gueroaldi, professoris Cadomensis. Cfr. Ebert n. 12616.

*Paris.*, 1511. 8., *die* 29. *Mart.* Gothico charact., sine nota typographi, sine pagg. numeris et custodibus; signaturae a—g; pagina plena habet 33 lineas, folia adsunt 56. Habet etiam icones xylographicas plantarum. Fol. 1[a]: *Herbarum varias qui vis cognoscere vires Macer adest: disce quo duce doctus eris*, infra icon xylogr., monachum scribentem exhibens cum cane ad pedes eius sedente; fol. 1[b]: *Cum bonis ambula. Mors peccatorum pessima Sic utere tuo ut alieno non egeas.*, infra eadem icon; fol. 2[a]: *Macer floridus de viribus herbarum Hic suo libello dat initium*, infra icon artemisiae et tunc *Caput primum de arthemisia.* Fol. 56[b]: *Macer floridus de herbarum viri-*

*bus hic suum capit periodum. Impressus Parisius* (sic) *Anno* etc. Neque commentarius, neque notae adsunt, sed tantum indices marginales; textus fere convenit cum editione tertia, quamvis minus accurate impressus; icones omnes rudiores fere sunt, quam in illa editione.

*Cadomi*, *s. a.* 4. Cum Guil. Gueroaldi interpretatiunculis, et figuris. Cfr. bibl. Rivin. n. 6389. Primo et antiquitus commentario Gueroaldi non additas fuisse figuras, eas igitur huius commentarii editiones, quae figuras continent, non haberi posse pro prima et principe, patet ex ipsis Gueroaldi verbis sub finem introductionis: „*Cur vero herbarum picture hic non fuerint effigiate: Plinii rationem afferam in medium libro* 25. *cap. secundo Pinxere quedam etc.*"

*S. l. e. a.* 8., cum commentario Gueroaldi. Eiusmodi editiones plures extant, forsan Parisiis impressae, cum iisdem omnino figuris instructae sint, qua Parisiensis anni 1511. Habent hae edd. folia 159 cum signat., sed sine custod. et pagg. numeris. Plures edd. vere existere patet ex titulis et inscriptionibus finalibus, etiam chartae bonitas differt, et mendae typographicae, quibus omnes abundant, non eaedem sunt in singulis editionibus, quamvis paginae singulae quoad initium et finem sibi verbotenus respondeant. Annus impressionis incertus est; antiquissimum exemplar, quod primum in Jo. Alb. Fabricii bibliotheca erat, dein in Bunavianam, tandem in Dresdensem publicam bibliothecam migravit, habet annum 1517 ab antiqua manu calamo (ter in ultima pagina) adscriptum. Hoc ipsum Fabricianum exemplar habet fol. 1[a] iconem monachi scribentis cum cane et supra scripta haec verba: *Hrebarum* (sic) *vires Macer tibi carmine dicet;* in alia editione habetur eadem icon cum versibus: *Herbarum varias qui vis cognoscere vires: Huc macer adest: quo duce doctor eris;* in tertia, quae mihi ad manus est, exhibet fol. 1[a] Christi crucifixi effigiem et suprascripta haec verba: *Macer de viribus herbarum.* Inscriptio finalis in his tribus edd. haec est: *Habetis iuvenes studiosissimi Macri floridi de viribus herbarum opusculum ab omni menda castigatissimum una cum interpretatiunculis luce meridiana longe clarissimis. Finis.*, sed scribendi ratio in singulis nonnihil differt. Ceterum notandum est, in his editionibus textum interdum aliam lectionem exhibere, quam quae in commentario laudatur, ipsum etiam Gueroaldi commentarium iam hic deturpatum esse et interpolatum, forsan ut textui discrepanti adaptaretur. Huius commentarii adhuc laudantur editiones: *Lugd.*, 1515. 8. et *Paris.* (*apud Petr. Baquetier*) 1522. 8. Cfr. Ebert n. 12617.

*Basil.*, 1527. 8. *min.*, *ed. Jo. Atrocianus*, *apud Jo. Fabrum Emmeum Juliacensem.* Charactere latino inclinato, 8 et 73 foll. Titulus: *Aemilius Macer de herbarum virtutibus*

*iam primum emaculatior, tersiorque in lucem aeditus. Praeterea. Strabi Galli, poëtae et theologi clarissimi, Hortulus vernantissimus, Uterque scholiis Joannis Atrociani illustratus. Basileae.* Strabus Gallus est Walafridus Strabo, cuius carmen nostrae quoque editioni subiunximus. Joannes Atrocianus, etiam Acronius dictus a loco natali Akrum in Frisia occidentali, iuvenili adhuc aetate hos commentarios conscripsit, cum demum anno MDXLII studiorum gratia academiam Basileensem adierit, in qua tamen anno MDXLVII professionem mathematicam et MDXLIX professionem logicam obtinuit; medicinae studium serioribus annis arripuit, doctoris in hac arte gradum anno MDLXIV die II. Maii adeptus; sed eodem anno, die XVIII. Octobris pesti succubuit. (Cfr. *Herzog* Athenae Rauricae pag. 334, et *Georg Veesenmeyer* bibliographische Analekten, Ulm, 1826. 8. §. 12.) Haec editio iconibus caret, sed meliorem et concinniorem textum continet, quamvis interdum nimis ex ingenio mutatum. Editionem, quam *Basil. s. a.* 8. prodiisse dicunt, aliam non esse puto, quam nostram; annus impressionis enim non in titulo legitur, sed fol. 57[b].

*Friburgi Brisg.* 1530. 8. *min.*, *ed. Jo. Atrocianus, apud Jo. Fabr. Emmeum Juliac.* Char. latin. inclin., 4 et 108 foll. Titulus: *Aemilius Macer de herbarum virtutibus, cum Jo. Atrociani commentariis longe utilissimis, et nunquam antea impressis. Ad haec. Strabi Galli etc. Apud Friburgum Brisgoicum.* Textus fere idem, ut in priori, commentarius auctus est et retractatus, atque nunc singulis carminis capitibus subiunctus, cum in priori editione integer sub finem carminis adiectus erat; commentarius in Strabum deest.

*Cracoviae*, 1537. 8. *min.*, *ed. Simon de Lovicz, ex offic. Ungleriana.* Char. goth. cum figuris xylogr. textui insertis, quibus apposita sunt nomina latina, germanica et polonica. Titulus: *Aemil. Macer de herbar. virtutib. cum veris figuris herbarum. Graduationes simplicium, cum Nomenclatura et interpretatione Polonica herbar. et morborum, secundum seriem Alphabeti. Expositio terminor. obscuror. contentor. in hoc opere.* (Cfr. biblioth. Rivin. n. 6390, et G. Chr. Arnold de monumentis historiae naturalis Polonae literariis, Varsav., 1818. 8. pag. 33.) Sim. de Lovicz medicinam docebat in academia Cracoviana.

*Francof. ad Moen.*, 1540. 8. *min.*, *ed. Janus Cornarius, ap. Chr. Egenolphum.* Char. latin. inclin., 12 et 132 foll. Titulus: *Macri de materia medica lib. V. versibus conscripti* etc. Horum librorum primi tres continent Macri capita sequenti ordine disposita: 1 artemis., 2 abrotan., 3 absinth., 4 caulis, 5 allium, 6 porr., 7 cepa, 8 sinapi, 9 lactuca, 10 eruca, 11 nasturt., 12 ruta, 13 apium, 14 sabina, 15 nepeta, 16 fenicul.,

17 satureia, 18 mentha, 19 salvia, 20 enula, 21 pastinaca, 22 cerefol., 23 coriandr., 24 atriplex, 25 aneth., 26 rosa, 27 lilium, 28 papav., 29 viol., 30 althaea, 31 urtica, 32 plantag., 33 puleg., 34 hyssop., 35 lapath., 36 lolium, 37 cicuta, 38 serpill., 39 centaur., 40 chamaedr., 41 aristoloch., 42 dracont., 43 beton., 44 chamaemel., 45 ligust., 46 accidula, 47 portul., 48 struthion, 49 bugloss., 50 origan., 51 marrub., 52 iris, 53 asar., 54 cyper., 55 paeon., 56 melissophyll., 57 senec., 58 chelid., 59 isatis, 60 helleb. alb., 61 hell. nig., 62 verben., 63 strychn., 64 iusquiam., 65 malv., 66 piper etc. usque ad 77 aloë. Liber quartus continet viginti capita, quae inter spuria Macri exhibebimus: Aaron, agrimonia — sulph., alumen. Liber quintus est Marbodaei carmen de lapidibus. Cornarius purioris latinitatis magis quam in edendis latinobarbaris decet studiosus, saepe nimis audacter textum mutavit, partim metri et sermonis causa, partim quia Plinius, Dioscorides et Galenus aliter rem habebant. Figurae non adsunt.

***Basil.***, 1559. 8. ***min.***, ***ed. Georg. Pictorius***, ***impr. per Henric. Petri***, ***mense Martio.*** Char. lat. recto, 12 foll. et 200 pagg. Titulus: ***De herbar. virtutib. Aemilii Macri Veronensis elegantissima poësis cum succincta admodum difficilium et obscurorum locorum — expositione***, ***antea nunquam in lucem edita. Adhaerentibus graduum compendiosa tabula etc.*** Capitum series eadem ut in editione nostra; falso numerantur 76, cum vere adsint 77, numero 48 bis repetito. Paginarum tituli: ***Aemil. Macer — de viribus herbar.*** Figurae xylogr. adsunt et breves adnotationes. Textus pessime corruptus; Aemilio Macro Veronensi adscribi carmen ab editore Pictorio, summae harum rerum inscitiae documentum est. Natus erat Pictorius Villingae anno 1500, cfr. Adami vit. medicor. pag. 184.

***Basil.***, 1581. 8. ***min.***, ***ed. G. Pictorius***, ***impr. per Sebast. Henricpetri.*** Char. lat. recto, 8 foll. et 208 pagg. Titulus: ***De herbarum — expositione iam demum summa diligentia castigata et in lucem edita etc.*** Textus, figurae, scholia eadem ut in priori editione; scribendi ratio aliquantulum emendata et synonyma nonnulla recens adiecta. Nova utique est impressio totius libri, non solum primi et ultimi folii; paginarum tituli: ***Aemil. Macer — de herbar. viribus***, diversi igitur ab illis prioris editionis. Pictoriana utraque editio criticae auctoritatis perparum habet; additamenta vero et indices utilitate non carent.

***Hamburgi***, 1590. 8., ***ed. Henr. Ranzovius***, ***excudebat Jacob. Wolfius.*** Haec editio, quae varias lectiones et additamenta nonnulla ex Pictorianis, nullas vero figuras, recepit, habet titulum: ***Henr. Ranzovii editio duorum librorum Macri de virtutib. Herbar.***, ***de quibusdam animalium partibus***, ***ac terrae speciebus***, ***Itemque medicamentis totius corporis hu-***

*mani. Iam recenter ex bibliotheca sua Bredenbergensi depromptorum, quorum prior antehac non tam emendate extitit, posterior vero antea typis nunquam fuit expressus etc. Accessit incerti autoris speculum Medicorum, etc. ex eadem Bibliotheca in lucem editum etc.* Quod hic pro libro secundo Macri hucusque inedito habetur, est Sereni Samonici carmen, iam antea saepius impressum; Speculum medicorum prosa oratione conscriptum ad medii aevi medicinam pertinere videtur. Liber primus continet carmen Macri Floridi, 100 capitibus distinctum sequenti ordine: 1 artemis., 2 abrot., 3 absinth., 4 urt., 5 all., 6, 7 plant., 8 ruta, 9 apium, 10 sabin., 11 porr., 12 nepet., 13 puleg., 14 foenic., 15 lactuca, 16 rosa, 17 lil., 18 satur., 19 salv., 20 enula, 21 hyssop., 22 lapat., 23 lolium, 24 cicuta, 25 mentha, 26 cepa, 27 sinap., 28 pastin., 29 serpill., 30 cerefol., 31 coriandr., 32 papav., 33 viola, 34 centaur., 35 germandr., 36 aristol., 37 marrub., 38 althaea, 39 aneth., 40 beton., 41 chamom., 42 acidula, 43 portul., 44 ligust., 45 ostruc., 46 atripl., 47 buglossa, 48 caul., 49 origan., 50 iris, 51 vulgago, 52 cyper., 53 paeon., 54 borago, 55 senec., 56 chelid., 57 colubr., 58 isatis, 59, 60 helleb., 61 gentiana, 62 saliunca, 63 agrimon., 64 sambuc., 65 nasturt., 66 verbena, 67 maurella, 68 iusquiam., 69 eruca, 70 malva, 71 piper etc., 82 aloë, 83 aaron, 84 bryonia, 85 alga palustr., 86 faba, 87 nux avellana, 88 batus, 89 mirica, 90 iuniper., 91 salix, 92 fel, 93 fimus, 94 caseus, 95 tela araneae, 96 cochleae, 97 cornu cervi, 98 acetum, 99 sulph. viv., 100 alumen. Quamvis ergo textus Macri multis capitibus spuriis abundet in hac editione, attamen bonas lectiones continet e manuscripto codice desumtas. Integra haec editio recusa est: *Lipsiae, ap. haeredes Joann. Steinmanni*, 1590. 8.

Praeterea inest Macri Floridi carmen in collectione medica Aldina (Venet. 1547. fol., apud Aldi filios), et particula carminis in Nicol. Marscalci enchiridio poëtar. clarissimor., Erford., 1502. 4.

Versionem francogallicam tentavit Lud. *Trembley* sub titulo: *Les fleurs du livre des vertus des herbes par Macer Floride avec les commentaires de Guil. Gueroust*, cui libro figurae adiectae esse dicuntur.

Frid. *Börner* († 1761) scripsit programma, quo continetur *De Aemilio Macro eiusque rariore hodie opusculo de virtutibus herbarum diatribe*, Lips. 1754. 4.; recusum in Eiusd. Noctibus Guelphicis, Rostoch. et Wismar., 1755. 8. pag. 110—134. Scriptiuncula minoris omnino momenti, in quo neque nova neque gravia leguntur, plura vero falsa et festinanter investigata; codices manuscripti, qui ab eo indicantur, sunt ii, qui in Eberti codd. Guelpherbyt. (Lips.

1827. 8.) numeros habent 544, 546, 548, in nostra Macri Floridi editione sigla δ, γ, ϑ.

Nostrae editionis finis primarius is est, ut Macri Floridi carmen, quantum per nos fieri posset, integrum et genuinum legatur, quare in conquirenda, eligenda et apponenda varietate lectionis summam curam et assiduitatem adhibuimus, maiorem forsan et minutiorem, quam quae in edendo scriptore latinobarbaro exspectari vulgo solet. Sed vel omnino dimittenda erat haec edendi ratio, vel omni qua fieri potest ἀκριβείᾳ exequenda. Codices manuscriptos et editiones impressas, quibus usi sumus ad hanc editionem adornandam, literis graecis tanquam siglis insignivimus, ut varianti lectioni auctoritas non deesset et lectori optio idonea relinqueretur.

*Codices manuscripti*, in bibliotheca Guelferbitana, Paulina Lipsiensi et Dresdensi publica servati, quorum usus ad hanc editionem benevole concessus debetur *Eberto* bibliothecae Dresdensis custodi primario, *Gustavo Kunze*, professori medico Lipsiensi, et *Mansfeldio*, apud Brunsvicenses medico commendatissimo:

α.) *Notae manu Martyni-Lagunae ad marginem editionis Pictorianae prioris adscriptae, ex codice bibliothecae Zwiccaviensis desumtae, varietatem lectionis continentes.* Codex ipse, ex quo descriptae erant, igne consumtus esse videtur in incendio bibliothecae Lagunianae (1807), nam in bibliotheca publica Zwiccaviensi non amplius reperiri dicitur. Continebat autem LXXVII capita sequenti ordine disposita: 1 artemisia, 2 abrotanum, 3 absinth., 4 urtica, 5 allium, 6 plantago, 7 ruta, 8 apium, 9 sabina, 10 porrum, 11 nepeta, 12 pulegium, 13 foeniculum, 14 lactuca, 15 rosa, 16 lilia, 17 satureia, 18 salvia, 19 inula, 20 hyssopus, 21 paratella, 22 lolium, 23 cicuta, 24 mentha, 25 cepae, 26 sinapi, 27 pastinaca, 28 serpillum, 29 chaerefolium, 30 coriandrum, 32 violae, 33 centaurea, 34 gamandrea, 35 malva, 36 anethum, 37 betonica, 38 chamomilla, 39 acidula, 40 chelidonia, 41 colubrina, 42 gaisdo, 43 asarum, 44 cyperus, 45 paeonia, 46 borago, 47 senecion, 48 caulis, 49 origanum, 50 maurella, 51 iusquiamus, 52 malva, 53 verbena, 54 ligust., 55 ostrut., 56 nasturt., 57 eruca, 58 aristoloch., 59 marrubium, 60 iris, 61, 62 hellebor. alb. et niger, 63 portulaca, 64 atriplex, 65 buglossa, 66 piper etc., 77 aloë. Congruere non raro videtur cum editione Cornarii, ita ut hic forsan eundem codicem suo tempore inspexerit. Editionem, cui adscripserat has notas Martyni-Laguna, possidet bibliotheca Kühnii, professoris

Lipsiensis meritissimi, qui earum mihi usum benevole concessit. Natus est Martyni-Laguna Zwiccaviae a. 1755, mortuus ibidem a. 1824.

β.) *Codex ms. Guelferbitanus* (60. 15. *Ms. Aug.* 8), *membranaceus*, 8., *saeculi XIII.*, *rescriptus.* Cfr. Ebert, zur Handschriftenkunde, 1. Bändchen, pag. 80; Eiusd. bibliothecae Guelferb. codd. gr. et lat. pag. 108, n. 545. A librario linguae reique pertractatae non admodum perito conscriptus, scriptura ceterum satis nitida, additis ab eadem manu notis marginalibus; titulus operis non adest, neque etiam Macri nomen ullibi legitur; singula capita habent inscriptiones rubras, adiectis plerumque germanicis herbarum denominationibus. Folia formae octavae vel etiam quartae minoris continet 28. Capitum series haec est: 1 artemisia, 2 abrotanum, 3 absinth., 4 urtica, 5 allium, 6 plantago maior, 7 plant. min., 8 ruta, 9 apium, 10 sabina, 11 porrum, 12 nepeta, 13 foeniculum, 14 lactuca, 15 rosa, 16 lilium, 17 satureia, 18 salvia, 19 enula, 20 acedula, 21 portulaca, 22 strucium, 23 atriplex, 24 nasturtium, 25 eruca, 26 buglossa, 27 origanum, 28 brassica, 29 aristoloch., 30 pastinaca, 31 althaea, 32 anethum, 33 asarum, 34 aloë, 35 betonica, 36 verbena, 37 acedula, 38 costum, 39 cyperus, 40 chamomilla, 41 ciminum, 42 cerefolium, 43 cinnamom., 44 coriandr., 45 cicuta, 46 gamandrea, 47 cepa, 48 centaurea, 49 chelidonia, 50 colubrina, 51 ellebor. alb., 52 ellebor. niger, 53 galanga, 54 gariofilus, 55 hyssopus, 56 iusquiamus, 57 iris, 58 paratella, 59 lolium, 60 ligustr., 61 marrub., 62 malva, 63 mentha, 64 violae, 65 sinapi, 66 papaver, 67 puleg., 68 serpill., 69 paeonia, 70 baroca, 71 senecion, 72 gaisdo, 73 maurella, 74 piper, 75 pyrethrum, 76 zinziber, 77 zedoar, 78 spica nardi, 79 spica celtica, 80 thus. Caput de acedula bis adest.

γ.) *Cod. ms. Guelf.* (*Extravag.* 268), *membran.*, 8., *saec. XIII.*; cfr. Ebert codd. Guelf. pag. 108, n. 546, et eiusd. Ueberlieferungen, 1. Band, 1. Heft, pag. 186. Bonas lectiones continet, quamvis sub fine minus accurate conscriptus sit, versus singulos et verba nonnunquam omittens, et capita de cerefolio et de baroco bis exhibens. Post caput de pyrethro deficiunt reliqua, foliis cultro abscissis; folia omnino adsunt 30. Inscriptiones capitum et literae initiales rubro colore sat eleganter scriptae sunt. Titulus operis non adfuit in vetere codice, recens manus adscripsit: *Aemylii Macri Carmen de virtutibus Herbarum.* Notae marginales adiectae sunt. Capitum series: 1 artemis., 2 abrot., 3 absinth., 4 allium, 5 apium, 6 althaea, 7

aneth., 8 chamomilla, 9 acidula, 10 atriplex, 11 aristol., 12 aloë, 13 beton., 14 barocus, 15 verbena, 16 cerefolium, 17 coriandr., 18 cepae, 19 caulis, 20 cyperus, 21 celidonia, 22 centaurea, 23 iusquiamus, 24 cicuta, 25 colubrina, 26 costus, 27 eruca, 28 enula, 29 elleb. alb., 30 elleb. nig., 31 urtica, 32 plantago, 33 ruta, 34 violae, 35 marrub., 36 hyssop., 37 iris, 38 salvia, 39 sabina, 40 porrum, 41 nepeta, 42 puleg., 43 foenicul., 44 portulaca, 45 lactuca, 46 rosa, 47 lilia, 48 satureia, 49 ligustica, 50 ostrutium, 51 cerefol., 52 nasturt., 53 papaver, 54 buglossa, 55 sinapi, 56 pastinaca, 57 origan., 58 serpill., 59 germandrea, 60 asarum, 61 paeonia, 62 barocus, 63 senecio, 64 isatis, 65 morella, 66 malva, 67 lapatium, 68 mentha, 69 castoreum, 70 piper, 71 pyrethrum.

δ.) *Cod. ms. Guelf.* (55. 5. *MS. Aug.*), *membran.*, 8., *saec. XIV.* Cfr. Ebert codd. Guelf. p. 108, n. 544. Lectiones plerumque textui in editionibus veteribus recepto accedunt, sicut etiam ordo herbarum idem est ut in iis. Capitum inscriptiones desunt, distinguuntur capita per literas initiales rubras; neque etiam titulus legitur, sed fol. 1ª habet in angulo dextro superiori verba minutis literis conscripta: *de virtutibus herbarum*, manu non multum recentiori. Continet folia 34, in fine legitur: *Explicit Macer domini alberti de aulica*, insequente adhuc praescriptione medica ad febrem quartanam.

ε.) *Codicis chartacei fragmentum duorum foliorum*, 8., *Guelferbitanum* (*Extravag.* 275, 2), *saeculi XV ineuntis.* Cfr. Ebert codd. Guelf. p. 108, n. 547. Incipit in capite de pyrethro, versu „Dicitur in solo succurrere etc.," sequuntur capita de zinzibere, cimino, galanga, zedoar, gariofilo, spica, thure, cui capiti adiungitur inscriptio finalis *Explicit macer.* Vetustius adhuc fragmentum adiectum est, continens versus octo posteriores ex cap. de aloë: „Aut cicer — solutio fiet," cum inscriptione finali *Explicit macer de herbarum virtutibus.*

ζ.) *Folia chartacea decem* (*in codice miscellaneo Guelf. n.* 576), 8., *saec. XV.* Continet hoc fragmentum capp. 15 priora paulo negligentius conscripta, desinit in fine capitis de nepeta; loco tituli habet epigraphen rubris literis: *Herbarum vires mater tibi carmina dicunt*, inscriptio finalis abest. Ebertus non habet.

η.) *Cod. ms. Guelf.* (*Extravag.* 112. 1.), *chartac. fol.*, *saec. XV.* Cfr. Ebert codd. Guelf. p. 108, n. 549. In fine mutilus est, ita ut caput de aloë desinat in versu „cum succo caulis formatas ut faba grossas." Ceterum

continet capita 21 priora ordine consueto, tunc sequuntur: viola, aristolochia, marrubium, hyssopus, enula, iris, lilium, salvia, timbra, ligustica, ostrutium, cerefolium, atriplex, coriandrum, nasturtium, papaver, serpillum, asarum, eruca, mentha, cyperus, paeonia, melissophyllon, senecion, celidonia, centaurea, colubrina etc. aloë. Accedunt notae marginales et explicatio interlinearis; inscriptionibus capitum adduntur plerumque denominationes germanicae. Recentioris scripturae esse hunc codicem multa docent.

ϑ.) *Cod. ms. Guelf.* (58. 6. *MS. Aug. fol.*), *chartac.*, *fol.* Cfr. Ebert codd. Guelf. p. 108, n. 548. et Frid. Boerner noctes Guelph. p. 129—133. Habet inscriptionem finalem: *Finis. per Manus Simonis steyn Artium et philosophiae Magistri Albiorani Anno* 1508 *altera post Scholastic. virg.* Natus erat Simon Steyn ex oppido Penig, summos in arte medica honores accepit Vitebergae die 14 Junii 1509, cfr. huius codicis p. 104. Capita 1—47 consueto ordine disponuntur, tunc sequuntur: paeonia, borago, senecion, chelidonia, centaurea, colubrina, ellebor. alb. et nig., verbena, germandr., maurella, iusquiamus, lapatium, lolium, cyperus, malva, quinquefolium, agaricus, gentiana, proserpinata, liquiritia, lupinus, solsequium, saliunca, sarcocolla, sambucus, cicuta, sandix seu gaisdo, piper etc. aloë, et iterum gaisdo, ita ut adsint capita 88.

κ.) *Cod. ms. Lipsiensis* (*biblioth. Paulin. MS.* 112.), *membran.*, *fol. saec. XIII.* Scriptura nitida et satis accurata, compendiis scribendi rarioribus. In initio legitur: *Incipit macer de naturis herbarum;* inscriptiones rubrae singulis capitibus apponuntur, adiectis plerumque nominibus herbarum germanicis, paululum recentiori manu scriptis. Literae initiales rubrae in initio capitum. Ordo capitum est ille vulgo receptus, sed caput de rosa statim excipit caput de viola, inde a versu „Crapula discutitur bibitis etc.," dein sequuntur capita aristolochia — iusquiamus, post haec lilium — serpillum, malva — aloë et quatuor versus ex capite de maurella. Continet folia decem.

λ.) *Cod. ms. Lips.* (*bibl. Paulin. MS. n.* 1219), *membran.*, *fol.*, *saec. XIV.* Accurate conscriptus. Post indicem sequitur fol. 1[a] inscriptio rubra: *Incipit macer qui tractat de virtutibus herbarum*, in fine fol. 22[a]: *Explicit macer.* Singula capita inscriptionibus rubris distinguuntur et literis rubris initialibus. Ordo capitum hoc tantum a vulgari recedit, quod serpillum ponatur inter salviam et ligusticum, senecio inter centauream et colubrinam, et cicuta ultimum locum occupet pone caput de aloë.

μ.) *Cod. ms. Lips.* (*bibl. Paulin. MS. n.* 1220.), *membran.*, 4., *saec. XV.* Bonas continet lectiones et saepe cum codd. α, η, ϑ, λ convenit. Fol. 1[a] habet inscriptionem rubram: *Macer de naturis aliquot specierum usitatarum*, et post hanc capita: piper, pyrethrum — aloë. Tunc nova ciusmodi sequitur inscriptio: *Incipit macer de viribus herbarum*, et hanc excipiunt reliqua capita hoc ordine disposita: artemisia, abrot., absinth., urtica, allium, plantago maior et minor, viola, ruta, apium, althaea, aneth., beton., savina, porrum, chamomilla, nepeta, puleg., foenic., acidula, portulaca, lactuca, rosa, lilium, satureia, salvia, ligustic., ostruc., cerefol., coriandr., nasturt., eruca, papav., cepa, lingua bovis, sinapi, caulis, pastinaca, origan., serpill., aristoloch., marrub., iris, enula, hyssopus, asarum, mentha, cyperus, paeonia, boracus, senecion., chelid., centaur., colubr., gaisdo, elleb. alb. et nig., verbena, germandr., maurella, iusquiam., malva. Hoc caput excipit inscriptio finalis literis rubris: *Explicit liber macri de viribus herbarum*, sed reperiuntur adhuc capita de papavere, de lapatio et de cicuta, quorum prius mancum est et perperam inscribitur „basilicon." Explicit Macer fol. 42[a], et statim sequitur Serenus Samonicus, ab Ackermanno editore iam collatus (v. Seren. Samon. ed. Jo. Chr. Gli. Ackermann, praef. pag. XXVII, n. 13.)

π.) *Cod. ms. Dresdensis* (*bibl. publica, MS. D,* 160), *membran.*, 4., *saec. XIV.* Nitide et accurate conscriptus, ita vero ut inter singula Macri capita interponantur manu coaeva conscripta capita 34 ex Plinii Valeriani libro quarto. Fol. 1[a] legitur index capitum, inscriptio vetusta abest, fol. 2[a] incipit carmen Macri, explicit fol. 37[b], ubi legitur inscriptio finalis: *ODONIS MAGDVNENSIS opusculum de naturis herbarum Explicit.* Capita Macri literis initialibus rubris, Plinii lit. init. viridibus distinguuntur; inscriptiones rubrae utrisque apponuntur. Ordo capitum Macri: 1 artemisia, 2 abrot., 3 absinth., 4 urtica, 5 allium, 6 plantago, 7 ruta, 8 viola, 9 aristol., 10 marrub., 11 hyssop., 12 iris, 13 aneth., 14 beton., 15 savina, 16 porrum, 17 chamom., 18 nepeta, 19 puleg., 20 foenicul., 21 acidula, 22 portulaca, 23 lactuca, 24 rosa, 25 lilium, 26 satureia, 27 ligustica, 28 ostrutium, 29 cerefol., 30 atriplex, 31 coriandr., 32 nasturt., 33 eruca, 34 papav., 35 cepa, 36 buglossa, 37 sinapi, 38 caules, 39 pastinaca, 40 origan., 41 serpill., 42 asarum etc. aloë. Desunt itaque enula, apium, althaea, salvia, quorum tituli tamen in indice praeposito leguntur, quare forsan folia quaedam exciderunt inter nonum atque

decimum. Capita ex Plinio Valeriano haec sunt: beta, blitum, cucurbita, holosatrum, armoracia, raphanus, asparago, cucumis, carduus, sorba, thimus, siliqua, pistacia, spomelides, melo, castanea, nux, ziziphus, napi, rapa, mespilus, cidonea, pira, mala punica, mala, cerasa, persicus, citrus, pinea, ficus, mixae, ocimum, avellanae, amigdala. Neque Macri neque Plinii nomen ullibi legitur antiquitus in hoc codice, manus recentissima primae paginae adscripsit: *Aemilius Macer de Virtutibus Herbarum, qui in fine dicitur Odo Magdunensis.*

*Editiones impressas* ad hanc editionem adornandam a nobis adhibitas ita notavimus:

αα.) S. l. e. a. 4., lineis 33.
ββ.) Paris., 1511. 8.
γγ.) Textus Macri, qui legitur in editione commentarii Gueroaldiani s. l. e. a. 8., et quidem in eo exemplo, quod prius in bibliothecis Fabricii et Comitis de Bünau erat, nunc vero habetur in bibliotheca publica Dresdensi. Quod moneo, quia textus non congruit in singulis illius commentarii editionibus.
δδ.) Basil., 1527. 8. } Atrociani.
εε.) Friburg. Brisg., 1530. 8. } Atrociani.
ζζ.) Francof. 1540. 8. Cornarii.
ηη.) Basil. 1559. 8. } Pictorii.
ϑϑ.) Basil. 1581. 8. } Pictorii.
κκ.) Hamburg., 1590. 8. Ranzovii.
G. Gueroaldus.

De *orthographia* in edendo Macro Florido adhibenda dubitatio semper inde redundabit, quod antiquissimi codices e saeculo XI non ad manus sint, recta igitur et ab auctore carminis vere adhibita orthographia sciri non possit. Praesertim cum ratio scribendi maxime varia sit et instabilis apud scriptores medii aevi, diversa scilicet in diversis regionibus et temporibus. In hoc dubio rerum statu retinenda videbatur scribendi ratio vulgo in libris latinis recepta, exceptis iis nominibus et terminis technicis, in quibus vel metri ratio aliter suaderet, uti *Ipocras* (v. 173 et 1814), *Ippocras* (v. 508), *ysopum* (v. 1503), *ciliacus* (v. 1656), *stera* (v. 13), vel consuetudo quaedam generalis apud medicos medii aevii, ut *artetica* (arthritis), *scia* aut *sciasis* (ischias), *disnoicus* (dyspnoicus), *dragma*, *nefreticus* etc. etc.

---

# MACER FLORIDUS
## DE VIRIBUS HERBARUM.

---

### I. ARTEMISIA.

Herbarum quasdam dicturus carmine vires
Herbarum matrem, dedit Artemisia nomen
Cui graecus sermo, iustum puto ponere primo.
Huius opem fertur prior invenisse Diana,
Artemis graece quae dicitur, indeque nomen
Herba tenet, quia sic inventrix dicitur eius.
Praecipue morbis muliebribus ista medetur:
Menstrua deducit eius decoctio sumpta,
Hocque facit, matrix si saepe fovetur eadem,
Vel si cruda mero sociata terendo bibatur,
Aut si trita virens super alvum nocte ligetur;
Pellit abortivum potu vel subdita tantum,
Duritias solvit stericas pellitque tumores.
Urinam potata ciet, lapidesque repellit,
Ictericosque iuvat cum vino saepius hausta.
Hanc adipi iunctam strumis apponere laudat
Plinius atque iubet cum vino sumere tritam.
Haec, opium nimium si quemquam laeserit haustum,
Subvenit eximie, si vino iuncta bibatur.

---

1 *Herbarum vires dicturus carmine quodam α, δ; herbarum varias dict. carm. vires δδ, εε, ζζ, ηη.* — 2 *Herbar. matr. iustum puto pon. primo Cui graec. serm. ded. Art. nom. ζζ.* Artemisia „mater herbarum" dicitur a scriptoribus medii aevi; cfr. Walafridi Strabon. hort. v. 181. — 3 *Just. puto dicere primo η.* — 4 *Cuius opem δ. Prima invenisse β; prius invenisse δ, ϑ, λ, μ.* — 5 *Arthemis* codd. et vett. editt.; *Artemis a Graecis ζζ.* — 7 *Mulieribus α, β, δ, αα, ββ, γγ,* G; *muliebribus ϰ, λ, μ, π, δδ, εε, ζζ, ϰϰ. Ipsa δδ, εε, ηη, ϑϑ; ista ϰ, λ, μ, π, αα, ββ, γγ, ζζ, ϰϰ.* — 8 *Huiusque decoctio β.* — 10 *Aut si γ.* — 12 *Potu si subdita ϰ.* — 13 *Dur. ster. solv. μ, π, αα, ββ; duricias levat hystericas ζζ.* Stera i. q. uterus apud medicos medii aevi, vox ὑστερα mutilata, quare Cornarii emendatio huius versus neque necessaria, neque etiam ferenda videtur. *Tumorem αα, ββ; tumores ϰ* et edd. recent. — 16 *Scrofis appon. α, η. Strumis opponere ηη, ϑϑ.* — 17 *Hancque iubet β.* — 18 *Hausta δδ.*

Affirmant quidam, quisquis gustaverit illam,
Quod nullo valeat nocuo medicamine laedi,
Et quod eum morsu non appetat ulla ferarum.
Radix illius collo suspensa rubetis
Dicitur et cunctis nocuis obsistere ranis;
Succus ad hoc eius cum vino proderit haustus.
Si musto contrita recens servabitur herba,
Vinum praedictis reddit medicabile morbis,
Et sapor est et odor vino gratissimus illi,
Confortat stomachum, sanat praecordia sumptum,
Et multis aliis affirmant utile causis.

## II. ABROTANUM.

Tertius Abrotano legitur gradus esse caloris,
Et desiccandi semen ferventius herba est,
Unde iuvat nervos et causas pectoris omnes,
Illius elixi si sit decoctio sumpta.
Sic quoque dysnoicis prodest tussimque repellit
Et prodest lumbis, sic vulvarumque querelis.
Omnibus his crudum cum vino proderit haustum,
Urinam purgat sic et praecordia mundat,
Sic curat sciasim, sic sumptum menstrua purgat,
Serpentes nidore fugat, bibitumque venena
Illorum extinguit, sedat quoque frigora febris
Antea quam veniant si mixto sumitur amne,

---

20 *Affirmant etiam* δδ, εε, ηη, ϑϑ. *Gestaverit* η, ηη, ϑϑ. — 21 *Nullo possit vacuo* δ. Medicamen nocuum i. q. venenosum seu magicum. — 22 *Quod eam* ζ — 23 *Rubetae* ranae quae sub rubis habitant. — 24 *Et cura nocuis* β. *Cunctis novis* ηη, ϑϑ. *Nocuis subsistere ranis* κ. — 26 *Si mixto* κ, αα, ββ, γγ; *si musto* α, β, γ, δ, ζ, η, λ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ, G; *si vino* μ cum suprascripta voce *vel musto.* — 27 *Vino praedictis* δ, κ. *Reddet* ϑ. *Vinum praedictis parant* ζ. — 31 *Fertur gradus* μ, π. — 35 *Disnoicis*, *dispnoicis*, *disnoycis* etc. var. codd. et edd.; *dismaticis* ϑ. Qui dyspnoea laborant. — 36 Hunc versum omitt. ζ. Vulvarum querelae i. e. morbi uteri. — 38 *Urin. mundat s. e. pr. purgat* μ; *urin. p. s. et pr. curat* ϑ; *ac praecord. sanat* δ. — 39 *Sic carnis sciasim* αα, ββ; *sic sciasim curat* γ, δ, κ; *sic curat sciam* μ; *sic curat sciasim* δ, λ, π; *ischiada et curat* ζζ. *Menstrua solvit* ηη, ϑϑ. Versum 39 omittit α. Sciasis s. scia malum ischiadicum dicebatur apud omnes medii aevi medicos, non igitur opus erat Cornarii praepostera emendatione. — 40 *Venenum* γ. Versum 40 omitt. ζ. — 41 *Illarum* α, β, π. *Sedatque frigora* αα, ββ, γγ; *fugat quoque* μ. — 42 *Antequam* αα, ββ; *primum quam* γ. Amne i. q. aqua.

Aut oleo quo decoquitur si membra perungas.
Lumbricos ventris hanc saepe bibendo necabis.
Huic panis micas et mala cidonia iungens
Insimul amne coquas, oculorum cocta dolori
Apponas vel fervori, curabit utrumque.
Stirpes infixas et spinas abstrahet ipsum
Appositum per se vel adeps si iungitur illi.
Haec etiam venerem pulvino subdita tantum
Incitat, et veneri nocuis potata resistit.

## III. ABSINTHIUM.

In primo calor esse gradu, vis sicca secundo
Dicitur Absinthii; stomachum corroborat herba
Illius quocunque modo quis sumpserit illam,
Sed melius pluviae si sit decocta liquore,
Et sic sub divo prius infrigidata bibatur.
Sic poterit variis eius succurrere morbis,
Hocque modo pellit lumbricos, mollit et alvum,
Eius et immodicum sedat sic sumpta dolorem,
Urinam potu producit, menstrua solvit.
Illi si nardum, quam profert Gallia, iungas
Et coniuncta teras et mulsa trita resolvas,
Praecipue tali purgabis menstrua potu,
Hoc quoque praestabunt cum lana subdita molli.
Si siler et nardus et acetum iungitur illi

---

43 *Oleo si* η. — 45 *Mali sidonii* α; *mala sindonia* αα, ββ; *sydonica, cydonia, cytonia, citonia* etc. *Jungas* δ, ζ, ϑ, π. — 46 *Insuper amne* δ. *Coquens* αα, ββ; *coquiens* γγ. *Cuncta dolori* λ. — 47 *Curabis* β, δ, λ, μ, π. — 48 *Stipes* β, ζ, λ, μ, π. *Abstrahit* ζ, ϰ, *attrahit* ϑ, *extrahet* λ. Educit spinas vulnerantes ex tumoribus et ulceribus. — 49 *Et adeps* αα, ββ. — 50 Loco huius versus et proxime sequentis habent codd. ζ, η, λ tres alios versus: *Plinius ut scribit venerem movet illius herba Si fuerit tantum pulvino subdita nocte Et cunctis veneri nocuis potata resistit.* Seriorem hanc esse mutationem per se patet, eam vero Gueroaldi temporibus iam factam docet eius commentarius; nostram lectionem tuentur ϰ, μ et edd. impr.; utramque lectionem, igitur quinque versus, habet π. — 51 Post hunc versum addit ϑ: *Quos incerta premit furtivae iniuria guttae Adiuvat et tot habet vires quot fila comarum.* — 55 *Melius iuvat si* η. Aqua pluvialis. — 56 *Prius ingelidata* λ. — 57 *Sic prodest variis eius decoctio morbis* δ. — 58 *Hoc modo depellit* ϑ. — 59 *Sic sedat sumpta* η; *curat sic sumpta* ϑ. — 60 *Urinam potu deducit* λ, μ. — 61 Hunc versum cum tribus proxime sequentibus omitt. α. — 64 *Praestabit* μ, ϰϰ.

Noxia deterges potu fastidia tali.
Gramina si rutae iungas huic salque piperque
Cumque mero tundens des haec decoctave potum,
Noxius et crudus stomachi purgabitur humor.
Iri coniuncta pectus mire iuvat hausta.
Acri cum vino trita se quilibet ungens
Non metuat culices, ustaeque fugantur odore.
Ictericis crudam dabis hanc apio sociatam,
Curat hepar, sibi si iungatur gallica nardus,
Splenque sibi iuncto potata iuvabit aceto.
Sic quoque fungorum depellit sumpta venenum,
Obstat letiferae cum vino sumpta cicutae,
Sicque venenatis occurrit morsibus hausta,
Et claros oculos reddit cum melle peruncta.
Hocque modo sugillatis superaddita prodest,
Decoctaeque vapor obstrusas liberat aures,
Si manant sanie cum melle terens superadde.
Subvenit anginae melli nitroque iugata.
Vulneribus prodest contrita recentibus illa,
Si superaddatur capitis sic ulcera curat,
Pruritusque iuvat eius decoctio fotu.
Nausea non poterit quemquam vexare marina,
Antea commixtam vino qui sumpserit illam.
In lini panno si circumcincta geratur

---

67 *Germina* γγ, ζζ; veram lectionem esse *gramina* testantur fere omnes codd. et edd.: cfr. Seren. Samon. v. 979. in cap. de lethargia. Gramina rutae i. q. folia rutae. — 68 *Cumque nitro* κ. *Tundens dabis haec* ζ, η. — 69 *Noxius en cunctus* ηη, ϑϑ. *Depellitur humor* μ. — 71 Vinum acre i. q. acetum, uti hodie adhuc apud Francogallos vinaigre. — 72 *Pulices muscaeque* habent plures codd., male, nam Plinii verba: „Culices ex oleo perunctis abigit et fumo si uratur" nostram lectionem tuentur. *Non metuet culices istoque* ηη, ϑϑ. *Non metuit culices istoque* κκ. — 74 *Si iung. sibi* δ, ζ, λ; *sibi iungatur si* αα, ββ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *hepar percurat si iuncta est gallica nardus* κκ ex Cornarii correctione, quem offendebat correpta in voce *hepar* prima syllaba. — 76 *Depellet* β, ϑ. *Venena* δ. — 77 *Obstat pestiferae* μ, π. Versum 76 et 77 omitt. α. — 78 *Succurrit* ζ, η. — 79 *Reddit oculos* λ. *Perunctos* αα, ββ. — 80 *Haec sugillatis etiam superaddita prodest* δ. — 81 *Obstructas liberat* λ. — 82 *Recens superadde* μ. — 83 Hunc versum omitt. ζ. — 85 *Vulnera curat* β, ζ; *vuln. sanat* δ; *ulcera purgat* μ. — 86 *Decoctio potu* δ. — 87 Hunc et sequentem versum habet Regim. Salern. v. 60, 61, quamvis non de absinthio sermo sit, sed de salvia, vel de ruta, vel de rosa. — 88 *Vino si* ζ. — 89 *In lineo panno* μ. *Feratur* γ, ζ, η, ϑ.

Inguinis immodicum fertur cohibere tumorem.
Olfactu somnum capiti vel subdita praestat,
Hanc sibi supponi si non praesenserit aeger.
Denigrat crines cinis eius, si bene mixtus
Ceroto fuerit et eo sint saepe peruncti.
A tineis tutam reddit qua conditur arcam.
Sub lingua factum curat cum melle tumorem,
Livoremque nigrum, qui circa luminis orbem
Apparere solet, purgabit idem medicamen.
Auris depellit sonitum cum felle bovino.
Duritiam splenis eius cataplasma resolvit.
Coniuncto sibi melle sterae si subditur herba
Desiccabit eam, manareque menstrua coget;
Ex oleo fuerit viridis si cocta, iuvabit
Non modice stomachum, quot erit hoc unguine fotus.
Incaustum vino, quo sit macerata, resolve:
Si scribis chartam mus non teret amplius illam.
Plinius attollit magnis hanc laudibus herbam,
Romanosque refert sacris ex more diebus
Dum quadrigarum cursu certare solerent,
Absinthii succum solitos donare bibendum
In capitolina victori sede locato,
Credentes pretium prae cunctis reddere dignum
Illi, quo firmam posset servare salutem,
Quae constat mundi pretio pretiosior omni.

---

91 *Olfactum* s. *olfatum* αα, ββ. *Subdita parat* π. — 94 *Sis saepe perunctus* ζζ; *sit* s. *perunctus* μ, π, αα, ββ, δδ, εε; *sic* s. *perunctus* δ, ηη, ϑϑ; *si* s. *perunctus* ζ, κκ; nostram lectionem habent γ, λ. — 95 *Archam* β, κ, λ, μ, π. — 97 *Circum* β; *iuxta* α, ϑ. *Curat idem* μ. — 101 *Coniuncto s. m. utero si* ζζ, cfr. v. 13. — 102 Hunc et antecedentem versum omittit α. — 103 *Ex ol. vir. fuerit si* β, ζ, η, ϑ, λ. — 104 *Stomacho quod erit hoc unguine fotum,* hanc lectionem vulgarem et satis frequentem ipse tuetur Gueroaldus, monens tantum: „non tamen aliorsum memini sub neutro genere invenisse stomachum"; *quotiens hoc unguine fotum* ζ, ϑ; *quod erit tali unguine fotum* γ; *qui sit hoc unguine fotus* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 105 *Incausto v. q. s. m. soluto* α, β, γ, κ, δδ, εε, ηη, ϑϑ; *encausto v. q. s. m. soluto* ζζ, κκ; *incaustro v. q. s. m. sol.* μ; nostram lectionem habent αα, ββ, γγ et confirmat Gueroaldi commentarius. Vers. 105 usque ad 114 omitt. ζ. Incaustum i. q. atramentum scriptorium, *τὸ μέλαν ᾧ γράφομεν* Diosc. — 109 *Solebant* γ, δ, ϑ, κ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 114 Plinii verba sunt: „siquidem Latinarum feriis quadrigae certant in Capitolio victorque absinthium bibit, credo sanitatem praemio dari honorifice arbitratis maioribus." XXVII. 7. Vers. 107 usque ad 114 omitt. α.

## IV. URTICA.

Dicimus Urticam, quam Graecus Acalyphe dicit,
Fervida non modice vis illi dicitur esse,
Unde nec immerito nomen sumpsisse videtur,
Tacta quod exurat digitos Urtica tenentis.
Haec solet ictericos cum vino sumpta iuvare,
Illius semen colicis cum melle medetur,
Et tussim veterem curat, si saepe bibatur.
Frigus pulmonis pellit ventrisque tumorem.
Omnibus his prodest pulvis cum melle iugatus,
Aut succus viridis cum vino saepius haustus.
Cum sale de foliis eius factum cataplasma
Ulceribus prodest et sordida vulnera purgat,
Et contra morsus valet hoc cataplasma caninos,
Et cancros et parotidas luxataque curat,
Hocque reformatur caro, quae discessit ab osse,
Et solet humores hoc desiccare nocentes.
Acri cum vino radix contrita tumorem
Compescit splenis, podagrae sic subvenit illa
Omnibus et morbis sic subvenit articulorum,
Omnibus his prodest superaddita, vel sibi iuncto
Si coquis hanc oleo foveasque hoc unguine membra.
Naribus impositus succus foliumve cruorem
Elicit; innati vis est sibi tanta caloris,
Quod si manantem cupias retinere cruorem,
Urticae succo frontem line, reprimit illum.
Si supponatur cum myrrha menstrua pellit,
Si claudit vulvam matrix humore gravata

---

115 *Diximus αα, ββ. Acalife β, γ, ζ, λ; acalyfe κ; acaliphe α, ϑ, μ, π; acalipe η; acalafe δ; acalise αα, ββ, γγ. Quam Graeci acalife dicunt β. Graecus acalephen nos urticam vocitamus δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ.* — 116 *Modicum ζ.* — 117 *Non immerito ζ.* Hunc et sequentem versum omitt. *α.* — 118 *Tenentes ζ.* — 122 *Pulmonum α, γ, ζ, η, ϑ, λ, μ, π; pulmonis* edd. impr. Cfr. Regim. Salern. v. 202. — 123 *Pulvis prodest γ, μ.* — 126 *Vulnera sordida δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; sord. vuln. curat δ, λ.* — 131 Vinum acre i. q. acetum uti v. 71. — 133 Cfr. Regim. Salern. v. 203. — 136 Hunc versum et sequentem omitt. *α.* — 137 *Innata αα, ββ; innata est illi vis tanta δδ, εε, ζζ, ϑϑ, κκ; in nari vis est sibi γ, μ;* nostram lectionem tuetur Gueroaldus et *δ, ζ, η, ϑ, κ, λ, π, γγ.* — 139 *Frontem line pellit cum mox δ.* — 140 *Menstrua tollit ζ; menstrua purgat λ.* Vers. 140 usque ad 145 omitt. *α.*

Urticae foliis revocabitur illa fricata.
Cum vino bibitum venerem semen movet eius,
Et melius tritae si iungas melque piperque
Et si cum vino praedicto more bibatur.
Pleureticos, pectus, pulmones adiuvat eius
Semen, si sumptum fuerit cum melle iugatum,
Cum mulsa bibitum lotium producit abundans.
Herba recens eius olerum si more coquatur,
Detur et illius decoctio, molliet alvum.
Ore diu clausus succus si volvitur eius
Uvae non modicum poterit sedare tumorem.
Sudorem movet ex oleo decocta perunctis.
Si quadrupes quaecunque marem perferre recusat,
Urticae foliis illius vulva fricetur,
Sic naturalem calor excitat ille calorem.
Defluvium capitis, si succo seminis huius
Ungas saepe caput, reprimi dicit Galienus.
Illius semen collectum tempore messis
Et desiccatum multis erit utile causis.

## V. ALLIUM.

Scordeon argive sunt Allia dicta latine,
Huius vim medici calidam siccamque periti
In quarto posuere gradu. Mansum vel inunctum
Curat, quos serpens vel scorpius intulit, ictus;

---

142 *Renovabitur* ζ; *reserabitur* ηη, ϑϑ, κκ. — 143 *Sem. ven. mov.* β, γ, μ. π. — 145 *Et sic cum vino simul haec coniuncta bibantur* γ, ζ, π; *et si c. v. s. h. c. bibatur* β; *et sic c. v. praed. more bibatur* ϑ, κ, ββ, ηη, ϑϑ, κκ; *et sic c. v. pr. m. bibantur* δ, η, λ, δδ, εε, ζζ. — 146 Orthopnoicis, pleuriticis et peripneumonicis prodesse semen urticae et pectus purgare docet Diosc. *Pleureticum* λ. — 148 *Abunde* κ, λ. — 151 *Diu clauso* β, μ; *diu tentus* η, ϑ. — 154 *Quadrup. quisquis* αα, ββ. Hunc versum et duos sequentes omitt. α. — 155 *Fol. revocabitur illa fricata* γ, μ, π, e versu 142 huc assumptum. — 157 *Seminis eius* η, ϑ, λ, μ. — 158 *Reprimit dicit* αα, ββ; *reprimit doctore Galeno* δδ, εε, ζζ, ηη; *reprimi dicit Galenus* κκ; *Galienus* rectius legitur, uti hodie adhuc *Galien* apud Francogallos. — 160 Edd. δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ repetunt post hunc versum v. 123 *Omnibus — iugatus.* — 161 *Scordeon* vel *scordion* habent omnes codd., quamvis vox graeca sit σκόροδον; *Scorodon a Graecis sunt* δδ, εε; *scorodon argive sunt* ζζ; *scorrodon argive sunt* recepit ex Cornarii commentario κκ. *Allea dicta* β, δ, ζ, ϑ. — 162 *Siccam calidamque* δ, π.

Sanat et appositum morsus cum melle caninos
Et nocui vermes triti pelluntur odore.
In mulsa coctum commixtum cui sit acetum
Et bibitum vermes ventris tineasque repellit;
Ex oleo cum reste sua si decoquis illud
Morsus pestiferos reddes hoc unguine sanos,
Corpus et attritum cura sanabis eadem,
Unguine vesicae dolor et tumor hoc reprimuntur.
Ipse refert Ipocras educi posse secundas
Fumo combusti si vulva diu foveatur.
Pulmonis varias coctum cum lacte querelas
Potatumque iuvat vel crudum saepe comestum.
Cum centaurea Diocles dare praecipit illud
Hydropicis, sic humores desiccat aquosos,
Idem nefreticis elixum sumere iussit.
Praxagoras illo fuit usus cum coriandro
Et vino, causas sic curans ictericorum,
Et sic potatum dicit quod molliat alvum.
Cumque faba coctum capitis sedare dolorem
Dicitur, attrito si tempora perlinis illo.
Anseris huic adipem iungas tepidumque dolenti
Infundas auri, praeclare subvenit illi.
Elixum tussim iuvat et suspiria sedat,
Clarificat raucam crudum coctum quoque vocem,

---

166 *Solo pelluntur αα, ββ, γγ; eius pelluntur η, ϑ, μ;* nostram lectionem habent edd. reliquae et multi codices. Ordo versuum 165 et 166 saepe inversus est, ut 166 legatur ante 165. — 167 *Et mulsa α.* — 168 *Ventris vermes μ, ηη, ϑϑ.* — 169 *Cum reste α, γ, δ, η, ϑ, λ, π, ζζ; cum veste δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ.* Confirmatur nostra lectio partim verbis Plinii (XX, 6.): „ad serpentium ictus potum cum restibus suis efficacissime ex oleo illinitur“, partim Gueroaldi in hunc Macri locum commentario: „cum reste sua id est cum sua herba quae est instar funis seu restis protensa“. — 171 Hic versus saepe legitur post v. 172. — 173 *Prodidit Hippocrates educi ζζ, κκ; Ypocras* al.; cfr. Plin. XX. 6. — 174 *Pulmonum α, β, ϑ, λ, μ, π.* — 177 *Diodes, dyodes, dyocles* etc. — 178 *Hydropisi η. Depellit aquosos λ.* — 179 *Neufreticis α, ζ, λ, μ, π, ββ; phreneticis δδ; nephreticis εε, ηη, ϑϑ; nephriticis ζζ, κκ.* — 180 *Pitagoras β, γ, λ; Pittagoras δ; Pictagoras αα, ββ; Pythagoras δδ, εε, ηη, ϑϑ; Prixagoras η; Paxagoras α; Plaxagoras μ, π; Praxagoras ζ, ϑ, κ, ζζ, κκ,* quam lectionem tuetur Plinii l. c. — 181 *Inferiorum α; praeteritorum β.* — 184 *Timpora* habent plures codd., quare Gueroaldus iam monuit: „non dicas timpora quia barbarum est“. — 185 *Iunge ηη, ϑϑ; iungens μ, π.* — 186 *Illis αα, ββ; isti δ.* — 187 *Suspiria tollit α; susp. curat λ.* — 188 *Coct. crud. quoq. λ.* —

Sed magis elixum iuvat illam saepe comestum,
Adiuvat incoctum pulti sumptumque tenesmon.
Porcino iungens adipi si conteris ipsum
Non modicos reprimes superaddens saepe tumores.
Hunc ignotarum potus non laedit aquarum
Nec diversorum mutatio facta locorum,
Allia qui mane ieiuno sumpserit ore.

## V. PLANTAGO.

Herbam, quae nostra lingua Plantago vocatur,
Hanc Arnoglossam Graecus vocat, est quia linguae
Agninae similis foliis. Plantaginis huius
Sunt geminae species, et maior prima vocatur,
Altera vero minor, quam vulgo lanceolatam
Dicunt, quod foliis (ut lancea) surgit acutis.
His infrigdandi desiccandique notatur
Tertius esse gradus, *maiori* vim tamen esse
Maiorem dicunt, nimis humida vulnera siccat,
Si superaddatur cum melle, et sordida purgat.
Cum sale sicut olus si iuncta coquatur aceto,
Ventrem restringit nimium sic mansa fluentem;
Si supradictis lens sit concocta iuvabit
Hic dysentericos melius cibus et ciliacos.
Stringit manantem superaddita trita cruorem,
Et nigris maculis fertur reparare colorem,
Ovi cum lacrymo mire medicatur adustos.

---

189 *Saepe voratum* β. — 190 *Tenasmon* β, ζ, ϑ, μ. — 193 *Potus non laedet* α, β, ϑ, λ; *non laedit potus* δ, π; *non laedet potus* γ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 196 *Herba* αα, ββ; *herbam* ζ, η, κ, λ, π, G, δδ, εε, ζζ, κκ. *Lingua nostra* ζ, η, λ, μ, π. *Plantago notatur* β. — 197 *Arnoglosam* αα, ββ, γγ; *arnoglosson* δδ, εε, ζζ. *Vocat quia* αα, ββ, γγ. — 198 *Foliis similis* β, ζ, η, ϑ. — 199 *Sed maior* δ. — 200 *Vulgus* ζ, η. *Lanciolatam* β, δ, κ, λ, μ, π, δδ, εε, ζζ, κκ; *lanceol.* αα, ββ, γγ, G. — 201 *Surgat* β, ζ, η, ϑ, κ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; *surgit* αα, ββ. G. — 202 *Infridandi* β, δ, η; *frigidandi* ζ; *inflammandi* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *infrigdandi* α, γ, κ, λ, ζζ, pro *infrigidandi* quod habet μ, π, ββ, γγ. — 203 *Maiorem v. t. e. maiori* δδ, εε, ζζ. — 204 *Vuln. sanat* δ. — 205 *Sord. mundans* α. *Cum melleque sordida purgat* η, ϑ. — 207 *Sic cocta* ζ. — 208 *Sit decocta* αα, ββ, γγ, G; *concocta* fere omnes codd. et edd. *Si superapposita lens sit concocta* ζ. — 209 *Cibus idem coeliacosque* ζζ, ex Cornarii mente. — 210 *Saepe cruorem* δ, κ, δδ, εε, ηη, ϑϑ. — 212 *Adustis* α, β, κ, π, δδ, εε, ζζ, κκ; *adusta* γ, ζ, λ, μ. *Medicabitur ustis* δ. Ovi lacrymum est i. q. Albumen ovi, vid. Aegid. medic. compos. l. 4. v. 440, 1176, 1181. Omittit hunc et sequentem versum ηη, ϑϑ.

Sola canis morsum curat sedatque tumorem,
Et scrophas spargit superaddita cum sale trita,
Hydropicis ut olus decocta comestaque prodest,
Sic iuvat asthmaticos, ferturque iuvare caducos.
Sordida purgabit bene vulnera quaelibet oris,
Ore diu tentus si succus volvitur eius.
Hic introfusus curat syringia succus,
Et dolor hoc auris sedabitur et sacer ignis.
Fert haemoptoicis hic opem, si saepe bibatur
Per se, fortior est si sit coniunctus aceto;
Sicque iuvat phthisicos, iniectus vero per anum
Stringit non modicum fluxum dysentericorum,
Pellitur ex oculis tumor hoc fervorque perunctis.
Saepius hanc ipsam si dentibus atteris herbam,
Gingivas reprimet tumidas et sanguine plenas,
Sicque solet dentis compescere saepe dolorem.
Succus cum lana matrici subditus eius
Stringit manantem nimium siccando cruorem.
Cunctis praedictis eius decoctio causis
Prodest et potus cum vino seminis eius,
Vesicae renumque iuvat potata dolorem.
Dicunt non nasci scrophas gestantibus eius
Radicem collo suspensam, vis sibi tanta est.
Radices eius tres contere, iungito tritis
Vini tres cyathos et aquae fac sit modus idem,
Haec nondum tremulo potanda dabis febrienti,
Sic pelles febrem, cui dat lux tertia nomen,

---

213 *Sedat curatque* γ, μ, π. — 216 *Fertur* κ, ηη, ϑϑ. — 217 *Sord. curabis* ϑ; *sord. curabit* λ, π. — 219 *Hic intus fusus* α, β, κ, μ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; *sic intus fusus* ζ, η, ϑ, λ; *hic introfusus* δ, αα, ββ, γγ. — 220 *Sedatur* eaed. edd. — 221 *Emophthisicis* δδ, εε; *haemophthoicis* ηη, ϑϑ; *haemorrhoidis* κκ; *emoptoicis* codd. *Is opem* λ. — 222 *Si coniungatur aceto* γ, μ. — 223 *Tisicos*, *thisicos*, *ptisicos* codd. et edd. — 224 *Stringit et immodicum* κ. — 225 *Tumor fervorque perunctus* β; *tum. hoc ferv. perunctus* ζ, μ, π. — 227 *Reprimit* ζ. — 232 *Seminis huius* γ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 233 *Potando* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 235 *Vis ibi* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *vis sibi* codd. et αα, ββ, γγ, G; *sibi* pro *ei* saepissime dicit latinitas medii aevi. — 236 *Tres attere* δδ, εε, ηη, ϑϑ. — 237 *Ciatos*, *sciatos* codd. *Modus unus* κ. Cyathum habere drachmas decem monet Gueroaldus. — 238 Dabis hanc potionem ante frigus febrile ad pellendam febrem tertianam et quartanam. — 239 *Pellis* δ.

Bis binae quoque quartanis prodesse putantur
Cum totidem vini cyathis si dentur et amnis. —
Cuncta potest ***Plantago minor*** praedicta iuvare,
Quamvis non tantas vires videatur habere.
Praecipue succus curat Plantaginis huius,
Quod iuxta nares vel lumina nascitur, ulcus,
Si superaddatur cum lanis mollibus illi,
Perque novem cataplasma dies istud renovetur.
Eius si succo tepido venter foveatur
Acri depulso sanabitur ille dolore.
Lumbricos succus depellere dicitur eius.
Si porcina vetus axungia iungitur illi,
Sedabit duros istud cataplasma tumores,
Parotidas vulnusque recens hoc adiuvat unguen.
Ante duas horas quartanae quam tremor aegrum
Vexet si succum biberit Plantaginis huius,
Sentiet eximiam facili medicamine curam.
Eius potatum depellit sperma secundas.
Si via longa pedum movet, ut fit saepe, dolorem,
Acri cum vino superaddita trita iuvabit.
Cum passo succus bibitur si saepius eius
Vesicae variis fertur succurrere morbis.
In desiccando vis est ***Plantaginis*** ingens
***Maioris***, queat ut veluti cauteria corpus
Appositum siccare, refert ut Plinius auctor.
Composuit librum Themison de viribus eius
In quo praeclaris celebravit laudibus illam.

---

240 *Quaternis* π, αα, ββ, γγ, G; *quartanae* ϑ. — 241 *Si detur* αα, ββ, γγ; *solvuntur et amnis* α. — 242 Proprium caput cum inscriptione: ***De lanciola vel minori plantagine*** exorditur β, sic etiam κκ cum inscriptione: ***De plantag. min.*** — 244 ***Curat succus*** ζ, η. — 245 ***Circa nares*** β. — 246 ***Molliter*** λ. — 247 ***Illud*** α, β, δ, η, ϑ, κκ. ***Removetur*** λ, π, ββ. — 249 ***Sedabitur*** δ. — 252 ***Eius catapl.*** μ; ***illud catapl.*** κκ. — 255 ***Vexat*** δ. ***Bibit*** η. — 258 ***Pedis movet*** ϑ. — 260 ***Seminis eius*** γ, margini adscripsit manus recentior: „rectius saepius"; *seminis huius* λ, μ. — 263 ***Veluti queat ut*** ϑ. — 264 Plinii verba (XXV. 8) sunt: „Vis mira in siccando densandoque corpore cauterii vicem obtinens". *Impositum siccare* μ, π. — 265 ***Temeson*** λ, μ, δδ, εε; ***Themeson*** π, ηη; ***Temison*** γ, ϑ. Cfr. Plin. l. c. — 266 ***Ipsam*** κ. Hunc et praecedentem versum omittit α.

## VII. RUTA.

A medicis Rutae vis fervida dicitur esse
Siccaque, fertur in his gradus illi tertius esse.
Utilis est valde stomacho, si saepe bibatur,
Expellit partum potu veneremque coërcet,
Tussim si bibitur compescit, menstrua purgat.
Si coquis hanc in aqua, cui vinum iunxeris acre,
Compescit talis decoctio tormina ventris,
Pulmones iuvat et pectus, morboque medetur
Costarum, quem pleuresim vocat attica lingua,
Arteticos sciasimque iuvat, febrique medetur
Hausta vel in oleo viridem si coxeris illam
Et foveas tepido patientes ante tremorem.
Matrici prodest intestinique tumori
Hoc unguen vel clysterio si funditur intus,
Haustaque cum vino prodesse valebit utrique,
Lumbricos oleo decocta et pota repellit.
Cum caricis decocta diu vinique liquore
Proderit hydropicis, si sint superaddita nocte.
Cruda comesta recens oculos caligine curat,
Et melius marathri cum succo felleque galli
Melleque si succus ex aequo iungitur eius,
Indeque sint oculi patientis saepe peruncti.

---

267 *Vis caustica* γ, μ, π. — 269 *Stomacho valde* δ, ζ. — 270 *Potu partum* λ; *partus potu* δδ, εε, ζζ; *partus bibita* ηη, ϑϑ. — 273 *Compescet* μ. — 274 *Pulmonem* λ. — 275 *Pleureticum* β; *pleuresin* κ; *pleuritim* ζζ; *pleurisin* κκ. *Arctica*, *artica*, *argica* codd. varii, *attica* α, β, κ, μ, π. — 276 Arteticus i. q. Arthriticus. *Arthriticos sciasimque* ζζ. *Febribusque* α, β, κ, λ, μ, π, δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ; *febrique* legit Gueroaldus. Versum hunc et antecedentem omitt. ζ. — 277 *Ex oleo* ζ, η, ϑ, λ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 278 *Tremores* κ, λ. Versum hunc et tres proxime sequentes omitt. ζ. — 279 *Matricis prod.* α, κ, μ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. *Matrici pr. intestinoque tumenti* η, ϑ, λ; *matrici pr. intestinoque tumori* γγ. Gueroaldus haec habet: „Prodest matrici id est morbis matricis ex frigore aut ventositate profectis et prodest tumori id est inflationi intestini quod vocatur colon quae quidem inflatio passionem infert colicam". — 280 *Clysteri* ζζ, κκ. — 281 *Utrumque* ηη, ϑϑ. Utrique sc. morbo matricis et intestini. — 282 *Decoctaque pota* ζ, η, κ; *decocta potata* δ; *decocta et potata* β, μ. — 283 *Cum ficu decocta* κ. Inter hunc versum et antecedentem interponunt β, δ, κ: *Carica iungatur rutae vinoque coquatur.* — 284 *Si sit* κ, λ, μ, π, κκ; *si sunt* ηη, ϑϑ. *Prosunt* α, β, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *prodest* κ, κκ. *Hydropico* β, δ. — 285 *Caligine purgat* α, δ, κ, λ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 286 Marathrum i. q. feniculum. — 288 *Patientes* β, ζ, ϑ, λ.

Cum roseo miscens oleo nec non et aceto
Illius succum, capitis curare dolorem
Quemvis immodicum poteris, hoc saepe perungens.
Naribus expressus si succus funditur eius
Sistit manantem bene desiccando cruorem.
In corio mali granati si tepefactum
Auribus infundas, depelles inde dolorem,
Cerussae roseoque oleo miscens et aceto
Illius succum mirandum conficis unguen
Ad depellendum sacrum quem dicimus ignem,
Et scabiem derte, quae dicitur herpeta graece,
Et graece dictas achoras hoc unguine purgas:
Ulcera sunt capitis humore fluentia pingui.
Curat et hoc ozinas immissum naribus, haec sunt
Quae graviter foetent in naribus ulcera nata,
Obstat pota mero vel cruda comesta venenis
Hoc Metridates rex Ponti saepe probavit,
Qui Rutae foliis viginti cum sale pauco
Et magnis nucibus binis caricisque duabus
Ieiunus vesci consurgens mane solebat,
Armatusque cibo tali, quascunque veneno

---

289 *Cum oleo misc. roseo ηη, ϑϑ. Vel aceto αα, ββ.* — 291 *Quamvis* edd. omn.; *quemvis η, ϑ* et Gueroaldus. *Si saepe perungas ϑ.* — 292 *Subditur αα, ββ.* — 293 *Sistet γ; siccat η; stringit ϑ. Desicc. dolorem αα, ββ.* — 294 *Si sit tepefactum αα, ββ, γγ.* — 295 *Aurib. hanc fundes α, fundis δ, fundas ϑ, μ. Inde cruorem ζζ.* — 296 *Cer. miscens oleo nec non et aceto γ, π.* — 299 *Derte αα, ββ, γγ,* G et varii codd.; *dertae α, δδ, εε, ηη, ϑϑ; certe κ, λ, ζζ;* lego *derte,* vox affinis gallicae herpetis denominationi *dartre.* Cornarius recepit: *Et scabiem certe quam dicunt herpeta Graeci,* et emendat versum ita: *Et certe scabiem quae Graecis dicitur herpes.* Editio *κκ* habet: *Et scabiem demit quae dicitur herpeta graece.* Vocem *herpeta* legit *erpeta κ, erbeta ζ, herbeta β, serpeta γ, λ, serpita π.* Nostram huius versus lectionem tuetur Gueroaldus. — 300 *Acoras αα, ββ, γγ, δδ, εε, ηη, κκ,* G et varii codd.; *purgas et dictos Graecis hoc unguine achoras ζζ.* — 301 Achorum definitio. — 302 *Ozimas* varii codd. et edd.; *osimas λ, ozinas μ. Curat et ozaenas δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ.* — 304 *Potata αα. Pota mero vel δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; pota nimis* G, *ββ,* et plur. codd.; forsan legendum est *pota vinis.* — 305 *Istud Metr. κ; hoc Metridaces αα, Mitridates ββ; haec Metridates γγ; Mithridates* edd. recent. Metridates pro Mithridates vulgo scribebant medici medii aevi. — 307 Post hunc versum habet *αα, ββ, γγ* alium: *Ficubus et binis geminaque iuglandi,* quem omittunt *γ, ζ, η, λ, μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ.* Loco versus 307 habet *κκ*: *Ficubus et siccis binis geminaque iuglandi.*

Quilibet insidias sibi tenderet, haud metuebat.
Mustelaeque docent obsistere posse venenis
Mirifice Rutam, comedunt quae primitus illam,
Cum pugnaturae sunt cum serpentibus atris.
Cum butyro modicoque oleo decocta tumorem
Matricis subiecta tepens fugat illa colique
Et cunctis intus morbis sic subdita prodest.
Hac etiam testes poteris curare tumentes,
Cum foliis lauri bene tritam si superaddes.
Ex hac antidotum non paucis utile causis
Conficitur, medici dicunt Diapiganon illud,
Piganon in graeca lingua quia Ruta vocatur;
Illius antidoti confectio talis habetur:
Pondere iunge pari nitrum, piper atque cyminum,
De tribus his, quantum de Ruta, ponito tantum,
Sed prius ex acri vino macerare cyminum
Convenit, in ferro post assari calefacto,
Omnia deinde simul bene trita ex melle iugabis,
Pectoris et lateris, iecoris, renumque dolores
Hoc ex antidoto curantur saepe comesto,
Extenuat bilem, mollit sine tormine ventrem,
Confortat stomachum, facit ut bene digerat escam.

---

310 *Quolibet ins. sibi tendi non met.* ϰ; *quaslibet ins. sibi tendere non met.* η. — 311 *Must. probant* γ, λ, π. *Mustellaeque doc.* μ, αα, ββ, γγ. — 314 Hunc versum et omnes reliquos in hoc capite omitt. γ. — 315 *Matrici* ϑ. — 316 *Haec subdita* ζ. — 318 *Superaddas* α, ϑ, ϰ, λ, δδ, εε, ζζ, ϰϰ; *superaddis* π. — 320 *Diapeganon* ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ; *depigamon* α; *diapigemenon* β; *diapigamon* ϑ, ϰ, λ. — 321 *Peganon* ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ; *pigamon* α, ϑ, ϰ, λ; *pigamenon* β; *πήγανον*. — 323 *Cuminum* η, μ, π; *ciminum* αα, ββ, γγ, ηη, ϑϑ, sic etiam v. 325. Compositionem diapegani vide ap. Plin. Valer. IV. 3. — 327 *Ex melle ligabis* α, δ, ζ, η, ϑ, ϰ, λ, π; *ligabis ex melle* β; *cum melle iugabis* αα, ββ, G; *ex melle iugabis* γγ, δδ, εε, ζζ!, ηη, ϑϑ, ϰϰ. — 328 *Pectoris et iecoris lateris renumque* ζ, η, ϑ. — 329 *Ex hoc antidoto* λ, π. — 330 *Extenuat bilem* α, β, δ, ζ, η, ϑ, ϰ, λ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *exten. febrem* ϰϰ; *ext. pinguem* αα, ββ, γγ, quam lectionem tuetur Gueroaldus, qui ita eam interpretatur: „id est demacerat pinguem i. e. hominem plectoricum (plethor.)“. Plin. Valer. l. c. habet: „alvum mollit, biles extenuat“. — 331 Post hunc versum addit π tres versiculos, qui vulgo leguntur in Regimine Salernitano: *Utilis est ruta quia lumina reddit acuta, Auxilio rutae vir lippe videbis acute, Ruta facit castum, dat lumen et adiuvat astum.*

## VIII. APIUM.

Est Apium dictum, quod apex hanc ferre solebat
Victoris, veterum fieret dum more triumphus.
Ipse sibi talem prior imposuisse coronam
Dicitur Alcides, morem tenuere sequentes.
Ast alii dictum credunt, quod apes vehementer
Illius soleant avide decerpere flores.
Hanc herbam Selinon solet attica dicere lingua,
Virtutis calidae siccae quoque dicitur esse,
Tertius a medicis datus est gradus huic in utroque.
Illius succo si candida mica terendo
Panis iungatur, oculi sedare tumorem
Dicitur emplastri noctu superaddita more,
Sicque ferunt mammis prodesse tumentibus illam.
Sedat fervorem stomachi, pellitque tumorem,
Et quicquid venti creat includitve nocivi
Desiccans poris assumpta repellit apertis.
Provocat urinas haec cruda comesta vel hausta,
Sed mage radicum facit hoc decoctio sumpta,
Hoc itidem semen operatur fortius haustum.
Tota venenatis occurrit morsibus herba,
Sed semen potius vel apozima proderit eius
Si bibitur, tussimque modo sedabit eodem.
Ventrem constringit, vomitum potata coërcet,
Lymphae commixtum sibi si iungatur acetum;
Aegris amissum fertur reparare colorem,
Cruda a ieiunis fuerit si saepe comesta.
Unaquaque die vexantem corpora febrem

---

332 Refert de apio Plinius (XIX. 8.): ,,honos ipsi in Achaia coronare victores sacri certaminis Nemeae". — 333 *Victoris fieret veterum de more* κ. — 335 *Alchides* β, δ, ζ, η. — 338 *Selmon.* plur. codd. et αα, ββ, γγ; *selinum* β, γ. *Solet attica lingua vocare* β. — 340 *Gradus est datus* α, β, κ. — 342 *Oculis* αα, ββ. — 346 *Venter creat includitque nocivi* ϑ, κ; *venter cr. includitque nocivum* δ; *ventus cr. includitve nocivum* β, γ; *ventus cr. includitve noxium* αα, ββ; nostram lectionem habent ζ, η, λ, μ, γγ, δδ, εε, ζζ, κκ. *Et quicquid venti creat includiturque nocivi* ηη, ϑϑ. — 347 *Medetur apertis* ϑ. — 348 *Haec cocta comesta* γ, λ. — 350 *Hoc idem* α, δ. *Saepius haustum* δ. — 351 *Morsibus hausta* αα, ββ, γγ. — 352 *Apoxima* δδ, εε; *apozema* μ, ζζ; *apozima* αα, ββ, γγ, ηη, ϑϑ; *apocima* β. — 353 *Sedabis* δδ, εε, ζζ. — 355 *Commixtum quoque si iungatur* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 357 *Crudaque* β. *Ieiuno* γ.

Cum lympha potata iuvat febris ante tremorem.
Hydropicos et splen tumidum iuvat illa, iecurque
Si cum feniculi succo contrita bibatur.
Hacque superposita turpis lentigo fugatur.
Illius succus farris cum polline mixtus
Atque ovi lacrymo vulnus bene purgat et ulcus,
Si superaddatur emplastri more frequenter.

## IX. ALTHAEA.

Althaeam malvae speciem nullus negat esse,
Althaeamque vocant illam, quod crescat in altum.
Hanc ipsam dicunt Eviscum, quod quasi visco
Illius radix contrita madere videtur,
Agrestisque solet a multis malva vocari.
In mulsa coctus flos eius vulnera purgat,
Vel si cum vino tritum florem superaddas,
Spargere sic scrophas, anumque iuvare dolentem
Dicitur, hocque modo conquassatis medicatur.
Elixata prius radix adipique terendo
Addita porcino terebinthinaeque tumores
Matricis curat, reliquosque iuvare dolores
Dicitur illius; nervos sic ipsa relaxat,
Rumpit vel spargit sic apostemata dura.
Omnes has causas elixatura iuvabit,
Si loca morborum foveantur saepe tepenti.
A dysentericis radicum coctio sumpta

---

359 *Potata fugat* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 360 *Hydropicos et spleneticos iuvat illa* ϑ; *hydropen et splenem tumidum iuvat illa* κκ. — 363 *Succus cum farris polline* ζ, η, ϑ. — 364 *Lachryma* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 366 Inscriptio huius capituli differt in quibusdam edd. et codd.; *Malva sive Altea* αα, ββ, γγ; *Althaea* ζζ; *Altaea* κκ; *Malva* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *Malvaviscus* μ; *Altea* γ, λ, etc. Retinuimus in ipso textu scriptionem *Althaea*, quae graeco nomini respondet, quamvis a medicis medii aevi vulgo scribatur *Altea*. — 367 *Quod crescit* δ, λ; *quia crescit* ϑ. *Alteam dicunt medici quod crescat* ζ. Veriorem nominis originem iam exhibuit Dioscorides. — 368 *Viscus* αα, ββ. Ibiscum, Hibiscum s. Eviscum (Eibisch) nomen Althaeae. — 369 *Contacta* α, β, γ, ζ, η, ϑ, κ, λ, μ, γγ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; *contrita* legit Gueroaldus, quod naturae quoque magis consentaneum est. *Radix illius* λ. — 370 *A multisque solet agrestis malva* λ. — 372 *Superaddes* αα, ββ, γγ. — 373 *Anique iuvare dolorem* α. — 374 *Cumquassatis* λ. — 376 *Terebintinaeque* η, ϑ, κ, λ; *terbentinaeque* μ; *turbentinaeque* δ. — 377 *Levare* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *iuvare tumores* ζ. — 379 *Vel frangit sic* δ. — 380 *Haec elixata iuvabit* ζ.

Cum vino fluxum stringens compescit eorum,
Et pellit tardas haec coctio sumpta secundas,
Et prodest haemoptoicis, lapidesque repellit,
Vesicaeque solet variis succurrere causis.
Acri cum vino contritum semen olivo
Iungito, deformes maculas hoc unguine pelles.
Cum pusca potata potest obstare venenis,
Elixata prius cum melleque trita replebit
Vulnera quae cava sunt, si sit superaddita saepe;
Sic quoque duricias mollit lenitque rigores;
Decoctis oleo foliis factum cataplasma
Quosvis pestiferos morsus combustaque curat.

## X. ANETHUM.

A medicis calidum siccumque refertur Anethum,
Et dicunt, quod sit gradus huic in utroque secundus.
Lac dat abundanter eius decoctio sumpta
Nutrici, stomachique solet depellere morbos,
Tres cyathos eius tepide si sumpserit aeger;
Indicio ructus est qui demonstrat apertum
Os stomachi ventumque per hoc exisse nocivum,
Atque gravis tali sedatur nausea potu;
Provocat urinas, obstantia quaeque repellens,
Matricemque iuvat, bene si foveatur eadem.
Cum tepida tritum patiens si potet Anethum,
Intestinorum curat ventrisque dolorem,
Hoc etiam potu digestio tarda iuvatur

---

383 *Fluxum sanguinis* αα, ββ, G. — 385 *Emophthisicis* δδ; *haemophthisicis* εε; *aemoptoicis* ζζ. — 386 *Succurrere morbis* α, ϑ, λ. — 387 *Commixtum semen olivo* δ; *contritum semen olivae* δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ. — 388 *Iuncto deformes* κ. *Pellit* β. — 390 *Replebis* ϑ; *repellit* αα, ββ. *Trita medetur* γ. — 395 *Anetum* habent codd. et antiquiores edd. in inscriptione et contextu. *Siccum calidumque* β; *calid. siccum quoque fertur* η. — 399 *Tepidae* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *tepide* αα, ββ, γγ, ζζ, κκ, G et codd. — 400 *Quo demonstratur apertum* α. *Ructus sit qui* εε ex mera coniectura Atrociani, nam addit in notulis: „ut stet versus"; hunc secutae sunt ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. *Exire nocivum* ζ, η, ϑ, λ, π. Ructus movere anethum Plinius (XX. 18.) affirmat. — 404 *Eodem* β, ζ, η, κ, λ, ηη, ϑϑ, κκ; *eadem* scil. decoctione. — 405 *Tepido tr. p. si potet aceto* δδ, εε, ηη, ϑϑ. *Potat Anetum* μ. — 407 *Cruda iuvatur* ζ.

Unde minor fieri vis egestiva videtur.
Assidue bibitum visum nocet et genitale
Claudit iter siccans humorem seminis intus.
Uvaque si nimio turgens humore gravetur,
Suspendit pulvis combusti seminis eius.
Appositus digitis, aut intus clystere fusus.
Acrior esse cinis radicum dicitur eius,
Rodit crescentes cinis hic in vulnere carnes,
Ulcera quae serpunt et sordida vulnera curat,
Ulcera praecipue membri curare virilis
Dicitur iste cinis infusus saepius illis.
Olfactu reprimit singultum semen Anethi
Assatum et fervens si saepius olfacit aeger.
Dicunt fervores oculorum tollere posse
Eius radices tritas prius appositasque.
Apponas haemorrhoidis si semen Anethi
Ustum, curat eas et condylomata solvit.
Flos oleo si decoquitur, medicabile reddit
Illud, praecipue natis de frigore causis
Prodest et capitis compescit saepe dolorem,
Nervorum laxat tensuras, frigora pellit.

---

408 Ad hunc locum annotat Gueroaldus: „quanto enim digestio stomachi id est epatis validior est tanto plus nutrimenti in corporis substantiam convertitur sic excrementa minora et e contrario“. *Digestiva* ζ; *egestiva putatur* γ. *Unde magis fieri* λ. — 409 *Visui* ζ, ϑ; *laedit visum et* κκ. *Geniale* π. „Oculos et genituram hebetat“ Plin. l. c. — 411 *Si nimio (nimis) venter turg. hum. gravetur* αα, ββ; *vulvaque s. n. turg. h. gravetur* γ; *vulvaque s. n. t. h. gravatur* κ; *uvam s. n. t. h. gravetur* α, λ, ζζ, κκ; *uvam s. n. t. h. gravatur* δ, η, ϑ, λ; *uvaque s. n. t. h. gravatur* ββ; *uvaque s. n. t. h. gravetur* ζ, π, γγ, δδ, εε, ηη, ϑϑ. Plin. l. c.: „cinis eius uvam in faucibus levat“. — 412 *Succurrit pulvis* ζ. *Seminis huius* β, ϑ λ, π. — 414 *Cinis radicis* κ. — 416 *Sord. ulcera curat* αα, ββ; *vuln. curat* α, β, γ, ζ, κ, ϑ, λ, μ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; *solida vuln. cur.* δ; *sord. vuln. purgat* η. — 418 *Saepius illi* γ, ζ, ζζ. — 419 *Olfatum* αα, ββ; *olfatu* μ; *olfactum* α, δ, κ, π, δδ, εε; *olfactu* γ, ϑ, λ, γγ, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ, G. *Singultus* γ. — 423 *Sic* αα, ββ, γγ. — 425 *Oleo si coctus erit* γ; *oleo si decoctus* κ; *oleo sic decoctus* δ. — 426 *Morbis de frigore natis* λ, αα, ββ, γγ, G; nostram lectionem habent reliquae edd. et codd. — 427 *Adest et* μ. *Depellit saepe* ϑ. *Dolores* ζ.

## XI. BETONICA.

Betonicam soliti sunt Cestron dicere Graeci.
Urinas potata ciet, lapidesque repellit,
Fert haemoptoicis cum pusca sumpta iuvamen,
Hydropicos siccat cum vino melleque sumpta.
De foliis eius tritis factum cataplasma
Non modicum prodest oculis, quos laeserit ictus.
Illius succus roseo commixtus olivo
Auribus infusus varios fugat inde dolores.
Betonicae pulvis cocto cum melle iugatus
Empicos, tussimque iuvat, suspiria sedat,
Et stomachi varios sumptus iuvat ille dolores,
Si febrit ex calida, cum vino si febris absit.
Cum mulsa bibitus idem pulvis movet alvum.
Cum sale contritis foliis cataplasmate facto
Vulnera curabis, fuerint quae facta recenter,
Tritaque fracturae capitis haec sola medetur.
De foliis eius elixis fit cataplasma
Utile non modicum variis vitiis oculorum;
Restringit lacrymas oculorum mansa vel hausta,
Hac etiam caligo solet metuenda repelli,
Aequo cum ruta fuerit si pondere iuncta
Et sic cum lympha sumatur trita tepenti,

---

429 Plures codd. et edd. habent *Vetonica* s. *Vettonica* in inscript. et contextu. *Cesteron, ceston* etc. codd. nonnulli. *Cestron betonicam soliti sunt dicere quidam* α, μ. *Cestron sunt dic. Graeci* γ. Κέστρον Diosc. — 430 *Urinam p. c. lapidemque* ζ. — 431 *Haemophthisicis* δδ, εε. *Saepe iuvamen* ζ. — 432 *Hydropicum* α; *hydropicos curat* ζ; *hydropicosque iuvat* δδ, εε, ηη, ϑϑ. — 433 *Tritis eius* κ. — 434 *Laeserit ignis* α. — 438 *Embecos* δδ; *hemphecos* εε, ηη, ϑϑ, κκ; *empyicos* ζζ; *empicos* π, αα, ββ, γγ; *empticos* μ; *epaticos* α; empyemate laborantes sic dicebantur. *Iuvat superaddita sedat* ζ. Pro *tussimque* legere mavult Cornarius *phthisimque*, bona forsan coniectura, nam phthisis a medicis medii aevi semper dicebatur *Tisis*, et ipse Diosc. habet: ποιεῖ καὶ πρὸς φθισικοὺς, ἐμπυϊκοὺς μετὰ μέλιτος. — 440 *Si febris est calida* αα, ββ; *si febris ex cal.* γγ; nostram lectionem habent β, γ, δ, η, ϑ, λ, μ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. *Adsit* ηη, ϑϑ; *assit* ζ, κ. Hydropicis dari iubet Dioscorides febricitantibus cum hydromelle, non febricitantibus cum vino mellito. — 441 *Multa bibitus* δ. — 442 *Contritus* αα, ββ. — 443 *Curabit* η, λ, π. — 444 *Capitis quoque sola* γ. Sola i. e. sine sale. — 447 *Sumpta vel hausta* γ. — 449 *Aequo cum rupta* αα, ββ; *si rutae fuerit cum pondere* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Pondere mixta* ϑ. — 450 *Et si cum* γ, δ, ϑ, κ.

Sic oculis nocuus sanguis per subtiliora
Dicitur expelli, sic lumina libera reddi.
Sumpta hac cum tepida purgatur vomica dira,
Pectoris et morbi potu curantur eodem,
Splen iuvat illius decoctio sumpta iecurque.
Uncia Betonicae socianda quaterna vetusti
Cum vini cyathis tribus, his sint addita grana
Viginti septem piperis, simul haec bene trita
Haustaque purgabunt renes, pellentque dolores.
Uncia cum cyathis calidae potata duobus
Dicitur immodicum ventris sedare dolorem.
Haec tussim cum melle fugat, ventrem quoque mollit,
Unaquaque die febre si vexabitur aeger
Uncia iungatur plantaginis una duabus
Betonicae, sic cum tepida contrita bibantur,
Antea quam febris praenuncia frigora fiant.
Uncia Betonicae calidae cyatho resoluta
Prodest hydropicis, si sit potata frequenter.
Radicum pulvis cum mulsa tritus et haustus
Humores (velut elleborum) vomitu cito purgat,
Bis binas dragmas praecepit Plinius harum
Radicum dare cum passo mulsove bibendas,
Praecipue phlegma vomitu purgabitur isto.
Cum mulsa bibitus prodest pulvis foliorum

---

451 *Sic sanguis nocuus oculis* ϑ. *Subtiliora* αα, ββ, γγ; *posteriora* α, β, λ, π; *subteriora* δ, ζ, η, ϑ, ϰ, μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. Gueroaldus tuetur nostram lectionem, explicat sanguinem nocuum per „rubedinem oculorum ex nocivo sanguine venulas et arterias oculorum opplente", et expelli putat hunc sanguinem per diaphoresin: „per poros subtiles et insensibiles oculorum". — 452 *Reddit* αα, ββ, γγ, δδ, εε, ηη, ϑϑ; *reddi* γ, δ, η, ϑ, ϰ, μ, π, ζζ, ϰϰ. — 453 *Hac sumpta tepida* ϑ. — 455 *Iecorque* β. — 456 *Sociata* ζζ. — 457 *Vini cum* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Tribus est his addito* α; *trib. his est addita granis* ζ; *trib. est his addita grana* ϑ, μ; *trib. et bis addita* δ; *trib. atque his addito* π, δδ, εε, ϰϰ; *trib. at his addito* ηη, ϑϑ; *trib. et his addita* η. — 462 *Tusses* β. *Melle iuvat* λ. *Quoque pellit* β; *quoq. solvit* λ. — 465 *Bibatur* αα, ββ, γγ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *bibantur* α, η, λ, μ, π, ϰϰ. — 466 *Praesentia frig.* λ. — 467 *Ciato calidae* γ, η, ϑ, ζ, ϰ, λ, π. Inter hunc et praecedentem versum interponit π: *Hanc illi celerem cernes conferre salutem.* — 469 *Radicis pulvis* η. — 471 Cfr. Plin. XXVI. 7: „Faciles praestat vomitiones radix vettonicae ellebori modo quatuor drachmis in passo aut mulso". — 472 *Mulsave* αα, ββ, γγ; *mulsoque* λ. — 473 *Fleuma* codd. nonnulli. — 474 *Pulvis prod.* αα, ββ, γγ.

Ruptis atque steras potus levat iste cadentes.
Cum vino sumptis obstat potata venenis,
Praecipue semen, quod si desit datur herba.
Uncia Betonicae cum vino sumpta tepenti
Ictericos curat; cum mulsa menstrua solvit;
Pondere vero fabae pulvis cum melle voratus
Post coenam stomachum iuvat, ut bene digerat escam.
Si de Betonica viridi sit facta corona
Circa serpentes, ut Plinius asserit auctor,
Audebunt nunquam positam transire coronam,
Sed morsu proprio pereunt et verbere caudae.
Omnibus antidotis Menemachus eam sociari
Praecipit, ut stomacho magis herbis omnibus aptam.
Plinius hanc, inquit, qui secum gesserit herbam,
A nullo poterit nocuo medicamine laedi,
Et dicunt, quod ea cum vino saepius hausta
Plumbeus abscedat color et melior revocetur.

## XII. SABINA.

Bratheos est graece Sabina vocata latine,
Sicca calensque sibi vis est, et tertius illi
Est in utroque gradus. Vulnus cum melle vel ulcus
Fortiter exsiccat, et sordes purgat eorum;
Sic iuvat anthracas, bona quae plebs ulcera dicit.
Menstrua deducit, corruptos extrahit alvo
Conceptus, si cum vino sit sumpta frequenter,

---

475 *Atque uteros pot.* ζζ, κκ, cfr. v. 13. — 477 *Detur* αα, ββ. — 479 *Cum vino* α. *Menstrua purgat* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ, α; *menstr. solvit* αα, ββ, γγ, G. et codd. — 483 Plin. XXV. 8: „ut inclusae circulo eius (sc. vetonicae) serpentes ipsae sese interimant flagellando". — 486 *Meneracus* γ; *Medeacus* δ; *Menemacus* α, η, κ, π, γγ; *Menemachus* β, ζ, μ, ζζ, κκ; *Meneniacus* ϑ; *Meneachus* λ; *Moniacus* ββ; *Meniacus* αα, δδ, εε, ηη, ϑϑ, G. et codd. nonnulli. — 488 Plin. XXV. 8: „tantumque gloriae habet ut domus in qua sata sit tuta existimetur a piaculis omnibus". — 489 *Nocuo poterit* α, ϑ. — 490 *Dicit* α, β. *Dicunt quidam cum* ζ, η. — 491 *Abscedit* β. *Renovetur* π. Hunc et antecedentem versum omittit μ. — 492 *Brateos* β, μ, αα, ββ, γγ, G; *bracteos* α, γ, λ, π, δδ; *bratheos* δ, εε, ηη, ϑϑ; *Est brathy graece* ζζ, κκ. *Savina* β, γ, κ, λ, μ, π, αα, ββ, γγ, δδ; *zauina* δ. — 493 *Sicca calens sibi vis gradus est* η; *sicca calensque eius vis est* δδ, εε, ζζ, κκ; *sicca calens eius vis est* ηη, ϑϑ; nostram lectionem habent codd. — 495 *Exiccat sordes quoque purgat* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 496 *Vulnera dicit* π. — 497 *Abstrahit alvo* γ, λ, μ. — 498 Inter hunc versum et sequentem interponit η: *Abortire facit abortumque repellit.*

Vel si trita prius matricis subditur ori.
Cerotis admixta cutem facit esse nitentem,
Omnibus et morbis prodest de frigore factis.
Illius in vino vel aqua decoctio curat,
Quos vertigo nocet, si lotum sit caput inde
Herbaque temporibus et fronti cocta ligetur.
Duplum Sabinae si desunt cinnama poni
In medicamentis iubet Oribasius auctor.

## XIII. PORRUM.

In multis causis usus medicamine Porri
Dicitur Ippocras, medicinae maximus auctor,
Istius succum solum dedit ille bibendum
Aegrotis, qui reiiciunt sputantve cruorem,
Quos haemoptoicos soliti sunt dicere Graeci;
Cum galla dant hunc alii thurisve farina,
Aut geminis dragmis Porrorum seminis unam
Apponunt myrrhae, vino quoque trita resolvunt,
Prae cunctis aliis dicunt haec sumpta iuvare;
Manantemque potes naris retinere cruorem,
Intus si nares ungas medicamine tali.
Contractas vulvas succo curabis eodem,
Reddit fecundas mansum persaepe puellas;
Ulcera cum melle tritum iuvat appositumque.
Humorum capitis si destillatio fiat

---

501 *Prodest morbis αα, ββ, γγ.* — 504 *Timporibus* codd. nonnulli, vide v. 184. — 505 *Desint δδ, εε, ζζ, ηη, θθ, κκ; desunt αα, ββ,* G. — 506 *Uribasius γ, η, λ, μ, π; Urisbasius αα, ββ; Auribasius κ; Ambrosius α; Orbasius ζ; Orisbasius δ, γγ; Oribasius θ, δδ, εε, ζζ, ηη, θθ, κκ.* Ceterum iam ante Oribasium idem affirmavit Plinius (XXIV. 11.): „in medicamentis vero duplicato pondere eosdem effectus habere quos cinnamum traditur." — 508 *Hippocrates εε, ζζ, ηη, θθ, κκ. Ypocras dicitur δ.* — 509 *Illius succum α. Dedit ipse α, λ; ded. iste γ, η, π.* — 510 *Spumantve β, γ, ζ, λ, π. Sput. tumorem ηη, θθ.* — 511 *Haemophthisicos δδ, εε; haemophthoicos ηη, θθ.* — 512 Hunc sc. succum. — 514 *Appon. myrrhae* legunt cum Gueroaldo et codicibus antiquiores editiones, Cornarius restituit *myrti* quia Diosc. l. c. habet *μετὰ μύρτων ἴσων.* — 516 *Manantesque p. n. r. cruores γ.* — 517 *Ungas si nar. intus δδ, εε, ζζ, ηη, θθ.* — 518 *Confractas αα, ββ, γγ,* G, *π;* sed videtur sermo esse de sterilitate ob clausum uteri orificium. Cfr. Plin. XX. 6. *Curavit δ; curabit π.* Hunc versum omittit *α.* — 519 *Reddet ζ.* Vid. Regim. Salern. v. 225. — 521 *Humor si capitis distillat et inde gravatur κκ.*

Pulmones pectusque nocens vocemque canoram,
Indeque consurgat tussis praecordia laedens,
Cum ptisana succum Porri sorbere iuvabit;
Et per se solum prodest his omnibus ipsum.
Si Porri partes in lympha coxeris albas,
Sic ut aquam primam mutes, addasque secundam,
Utilis eius aquae duro fit potio ventri,
Dicitur haec eadem cum vino stringere ventrem.
Cum vino Porrum datur his quos laeserit anguis
Quodlibet aut animal fundens letale venenum;
Nec minus his prodest, si vulneribus superaddas
Sic velut emplastrum Porrum cum melle subactum.
Commixtus Porri succus lacti muliebri
Et bibitus tussim fertur sanare vetustam,
Et variis vitiis pulmonum subvenit idem.
Auris compescit cum caprae felle dolorem,
Praestat idem pariter cum mulsa mixtus et auri
Infusus tepidus; fungis si manditur obstat.
Eius iungatur succo pars tertia mellis,
Et sic per nares tepidum fundendo vel aures
Immensum poteris capitis sedare dolorem.
Cum vino bibat hunc, lumborum quem dolor angit.
Dicunt utilius tali nihil esse dolori.
Fracturas solidat cito, duritiasque relaxat
Appositum, vulnusque recens cito cum sale claudit.
Si crudum fuerit sumptum levat ebrietatem,
Sic venerem stimulat, sic duram mollit et alvum.

---

522 *Pectusque gravans* ϑ. — 523 *Consurgit* α, γ, ζ, π; *cum surgit* μ. — 524 *Porri succum* αα, ββ, γγ. *Servare iuvabit* ζ. — 526 *Cum lympha* ζζ. *In vino coxeris* αα, ββ, γγ et nonnulli codd. Cfr. Diosc. l. c. et Plinii l. c.: „capita bis aqua mutata cocta alvum sistunt et fluxiones veteres“. — 527 *Mittes* β, γ, δ, κ. — 529 *Solvere ventrem* β. — 530 *Potus datur* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *porrum dabis his* ζ. *Laeserat* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 531 *Aut aliud fundens* γ, π. — 532 *Superaddes* δ. — 533 *Emplaustrum* γ, μ. — 534 *Mulieris* κκ. — 535 *Fertur tussim* δ. *Sedare vetustam* γ, ζ, λ, π. — 538 *Mulso* γ, μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; *Tritus et auri* αα, ββ, γγ. — 539 Plinius l. c.: „Estur vero et contra fungorum venena“. — 541 *Tepide* λ, π; *tepidus* κκ. — 542 *Capitis poterit* γ, λ, π; *poterit capitis* ϑ; *capitis poteris* μ; *capitis poteris curare* β. Hunc versum cum quatuor proxime antecedentibus omittit α. — 543 *Ex vino* α, δ, κ, λ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 544 *Dicitur* α, δ, δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ. — 547 *Sumptum fuerit* ϑ. — 548 *Et venerem* γ, λ, ζ. *Molliet* αα, γγ, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ, α, δ; *moliet* ββ. —

## XIV. CHAMOMILLA.

Anthemim magnis commendat laudibus auctor
Asclepius, quam Chamaemelum nos vel Chamomillam
Dicimus; haec multum redolens est et brevis herba,
Herbae tam similis, quam iusto nomine vulgus
Dicit amariscam, quod foeteat et sit amara,
Ut collata sibi vix discernatur odore.
Auctores dicunt species tres illius esse,
Quas solo florum distingui posse colore
Tradunt: est cunctis medius flos aureus illis,
Sed variis foliis flos circumcingitur ille,
Albi vel nigri sunt purpureive coloris.
Dicitur Anthemis proprie, cuius foliorum
Purpureus color est, maiorque et fortior haec est;
At Leucanthemum foliis deprehenditur albis,
Melinis Chrysanthemum; vis omnibus illis
Sicca calensque gradu primo conceditur esse.
Provocat urinam cum vino quaelibet hausta,
Vesicae frangit lapides et menstrua purgat,
Si foveatur aqua matrix qua cocta sit herba,
Aut si cum vino potetur saepius illa;
Tormina sic sedat, stomachique inflatio potu
Pelletur tali; squamas de vultibus aufert,
Si tritam apponas solam mellive iugatam.
Ictericis prodest eius decoctio sumpta
Et mire prodest iecoris potata querelis,

---

549 *Anthenum αα, ββ, γγ* et plures codd.; *anthemium δδ, εε, ηη, ϑϑ*; *anthemidem ζζ, κκ.* — 550 *Asclipeus αα, ββ* et codd. nonnulli; *Esclepius η*; Plin. l. c.: „anthemis magnis laudibus celebratur ab Asclepiade". Ceterum hic versus quoad duo chamomillae nomina diversissime legitur in codd. et edd. — 553 Post hunc versum addit ζ: *Foetet amaristus redolet similis camomilla.* Amarisca s. Amarista herba est Anthemis Cotula. — 557 *Dicunt est ϑ.* — 558 *Variis filis κκ.* — 559 *Albi vel lutei ηη, ϑϑ. Purpureique ϑ. Colores β.* — 560 *Anthenus, anthemion* etc. — 562 *Et* var. codd. et edd. *Leucathemenum αα, ββ, γγ*; *leucanthemion δδ, εε, ηη, ϑϑ*; *leucanthemium ζζ*; *leucanthemon κκ.* — 563 *Mellinis α, ζ, αα, ββ. Crisantenum αα, ββ, γγ*; *chrysanthemon δδ, κκ*; *chrysanthemion εε, ζζ, ηη, ϑϑ. Est vis αα, ββ, γγ. Nigris crisantemon vis κ.* — 564 *Contenditur κ.* — 567 *Sit illa ζ.* — 568 Hunc versum omittit ζ. — 570 *Pellitur ex tali β, λ, π*; *pelluntur tali ζ.* Squamas per „Lentigines" explicat Gueroaldus. — 573 *Iecoris prodest potata αα, ββ, γγ*; *iecoris medicatur sumpta η, ϑ, λ, μ, π, κκ.*

Pellere cum vino potata refertur abortum.
Hac oleo cocto foveas si febricitantem
Frigus depelles, febrem quoque saepe fugabis;
Unguine purgantur hypochondria turgida tali.
Pestiferos morsus serpentum pondere dragmae
Cum vino prohibet Anthemis sumpta nocere;
Plinius affirmat hanc quadraginta diebus
Unaquaque die bis sumptam pondere dragmae
Cum geminis cyathis vini subtilis et albi
Cum lotio sensim totum purgare lienem.
Aegilopas curat, si quis commasticet illam
Et sic apponat; sic ulcera sordida purgat.
Ebullire caput febris fervore gravatum
Saepe solet, vel collectis humoribus in se
Ulcera producit, vocat exanthimata Graecus,
Haec decocta virens oleo Chamomilla repellit.
Quod si defuerit viridis maceretur aceto,
Et caput inde lavet, nullum magis adiuvat unguen.

## XV. NEPETA.

Herbam, quam Nepetam vulgari more vocamus,
Hanc medici graeco Calamenti nomine dicunt,
Sicca calensque sibi vis est et tertius illi
Est in utroque gradus. Cum mulsa sicca tepenti
Sumpta solet totum sudore resolvere corpus;
Ex oleo, quo sit decocta, perunge fricando
Illum, venturae metuit qui frigora febris,

576 *Depellens* β. — 577 *Ypocondr.*, *ypocundr.* etc. — 578 *Serpentis* η, ϑ. — 579 *Prohibet herba isthac* ζζ. Hunc versum cum duobus sequentibus omittunt α, ϰ. — 580 Plin. (XX. 15) de cappari haec habet: „Spleneticis prodest in vino potu radicis cortex duabus drachmis dempto balinearum usu, feruntque XXXV diebus per urinam et alvum totum lienem emitti“. — 586 *Emollire caput* αα; *emolire* ββ; *et mollire* β, π; Gueroaldus explicat per „alleviare“. *Ebullire* habent α, δ, ζ, η, ϰ, μ, γγ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ et sensus poscere videtur. — 588 *Exanthemata* habent edd. recentiores. — 590 *Et si defuerit* β. *Maceratur* δ, ζ. — 591 *Laves* λ; *liniat* G. — 592 Inscriptio varia: *Nepeta*, *Nepita*, *Calamentum*. Icones huic capiti adiectae interdum Calamum exprimunt, errore ob Calamenti nomen commisso. — 593 *Graece* α, ηη, ϑϑ. *Calaminthi* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *calaminthes* ζζ; *calamentum* γγ, ϰϰ. — 594 *Calensque illi vis e. e. t. item* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. — 595 *Trita tepenti* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *saepe tep.* αα, ββ, γγ, G; *sicca tep.* α, γ, δ, ζ, η, μ, π, ζζ, ϰϰ. — 596 *Revolvere corpus* δδ, εε, ηη, ϑϑ.

Non frigus tantum sed febrem saepe repellit;
Illi, qui sciasim patitur, coxae superadde
Contritam viridem, fertur comburere pellem
Et sic humores siccando fugare dolores;
Appositu potuque suo cito menstrua purgat.
Est leprae species elephantiasisque vocatur,
Quae cunctis morbis maior sic esse videtur,
Ut maior cunctis elephas animalibus extat,
Hunc in principio morbum potus Calamenti
Cum vino curat humores extenuando;
Serpentum morsus superaddita trita nocere
Non sinit, et pellit cum vino sumpta venena.
Potus et iniectus lumbricos enecat eius
Succus et in membris vermes necat omnibus ipse,
Si mel iungatur huic cum sale plus operatur.
Si bibit hanc praegnans aut tritam subdit, abortit.
Purgat et ictericos, cum vino curat anhelos,
Asthmaticos medici quos graeco nomine dicunt,
Et iecoris morbos cum vino mitigat hausta,
Hocque modo veterem lateris iuvat illa dolorem,
Atque cicatrices nigras superaddita trita
Haec naturali reddit purgando colori;
Vino decoctae facit hoc melius cataplasma.
Compescit stomachi cum vino sumpta dolorem.
Fumus de domibus serpentes effugat eius,
Tollere singultum cum vino dicitur hausta
Hocque modo venerem prohibet potata frequenter.

---

599 *Febres* ζ, ϰ, π; *febres inde* λ. — 600 *Ischiada ac si quis patitur* ζζ, ϰϰ; cfr. v. 39. — 602 *Dolorem* γ; *dolentes* ϑ. — 603 *Apposita* edd., G; *apposita ast potuque* ζζ; *apposito* ζ, η, π; *appositu* β, λ, μ. Apponere i. e. forma pessarii adhibere. — 604 *Est morbi species* ζ. *Elefantia sicque* α; *elephantiasis vocitata* ϑ. — 605 *Quae cunctis maior lepris sic* λ. — 606 *Ut cunctis maior* λ. *Animalibus elephas* ζ; *elephas animantibus* δδ, εε, ζζ, ηη, ϰϰ; *elephas animalibus* αα, ββ, γγ, ϰϰ. *Elephans* γ, π. — 607 *Calamentis* αα, ββ; *calaminthi* ϰϰ; *calaminthes* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *calamenti* α, β, η, ϑ, λ, γγ. — 608 „Extenuando id est subtiliando" G. *Humores satis extenuando* ϰ. — 614 *Bibat h. pr. a. tr. subdat* αα, ββ. *Vel tritam* ζ, η. — 615 *Purgat anhelos* ϑ. — 616 *Graeco med. quos* ζ, η. — 621 *Decocta facit haec* αα, ββ. — 623 *Effugat omnes* ζ, η, ϑ. — 625 *Cohibet* α, γ, ϰ, ϑ, η, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ.

## XVI. PULEGIUM.

Fervida Pulegii vis siccaque dicitur esse.
Tertius a medicis datus est gradus huic in utroque.
Saepius hanc herbam si praegnans sumit, abortit;
Menstrua deducit cum vino sumpta tepenti,
Hocque modo tardas haec extrahit herba secundas.
(Hoc nomen, quod non notum reor esse quibusdam,
Exponam tali quid nomine significetur:
Ut nondum natus testa circumdatur ovi
Pullus, sic infans matris vestitur in alvo
Quadam pellicula matris de semine facta,
Quam nascens rumpit, quasi testam pullulus ovi,
Istas pelliculas medici dixere secundas,
Quod mox expositos naturae iure sequantur;
Hae si plus iusto vitio cogente morantur
Aut mors subsequitur, dolor aut qui vix toleratur;
Istas Pulegium praedicto more repellit.)
Cum sale contritam melli si iunxeris illam
Unguine contractis potes hoc succurrere membris.
Illius pulvis sumptus cum melle vel haustus
Pectoris humores viscosos extenuare
Et per sputa potest illos educere mire.
Nausea vel morsus stomachi curabitur illa
Cum pusca sumpta vel aceto quod sit aquosum;
Cum vino nigram choleram potata repellit,
Sicque venenatis serpentum morsibus obstat.
Si per vim febris nimiove fluore cruoris

---

626 ***Puleium*** *αα, ββ* in inscriptione. In ipso versu plures edd. habent ***Pullegium,*** quod si metri causa factum est, non opus erat, nam syllaba prima iam per se protrahitur, v. Seren. c. 32. v. 599. — 628 ***Sumat*** *αα, ββ, γγ.* ***Hanc praegnans herbam si*** *α*; *hanc herb. pr. si β.* — 631 ***Quoniam ignotum*** *δ*; *quia non notum ϑ, β, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ.* Nomen sc. secundarum. — 633 *Circundatur γγ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ.* — 638 ***Quae mox*** *ϑ, π.* *More sequantur η.* — 639 *Morentur αα, ββ, γγ.* — 641 Hunc versum cum decem antecedentibus omittit *α.* — 643 *Succurrere morbis δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ*; *succ. membris αα, ββ, γγ, κκ,* G. — 646 ***Potest purgare saluhriter illos*** *λ,* G, *γγ*; *potest illos educere mere αα, ββ*; *pot. ill. educ. mire α, β, δ, η, ϑ, γ, κ, μ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ.* — 648 Acetum aquosum i. e. aquae mixtum G. — 649 *Coleram nigram αα, ββ, γγ*; *nigr. coler.* reliqu. edd. et *α, β, γ, δ, η, ϑ, κ, λ, μ, π.* Cfr. Regim. Salern. v. 213. — 651 *Nimioque* eaedem edd.; *nimio fervore cruoris κ.*

Aut aliquo casu subito defecerit aeger,
Quod solet a doctis medicis malefactio dici,
Pulegium valido tritum iungatur aceto,
Naribus aegroti sic apponatur, odore
Solo confestim dicunt relevare iacentem.
Gingivas sicci pulvis confirmat et usti.
Appositam viridem dicunt sedare podagram,
Et quosvis alios solet emendare tumores,
Si superaddatur tepidae permixta polentae;
Addita cerotis papulas de corpore tollit.
Spleneticis multum superaddita cum sale prodest;
Elixatura si quisquam saepe tepenti
Illius abluitur, pruritus non patietur,
Et sic matricis poteris curare tumorem;
Tussim compescit cum vino sumpta tepenti,
Et sic urinam compellit reddere largam,
Et magis ex vino si sit decoctio facta
Aut oleo mixto contritam si superaddas.
Si radix acri contrita iugatur aceto,
Sedabit quosvis superaddita saepe tumores;
Obstat serpentum cum vino sumpta venenis
Et sic assumptam venerem stimulare fatentur.
Sic quoque pulmonis prodest iecorisque querelis
Et sic nutrici sumptum lac praebet abundans.

---

653 *Malfactio* αα; *malefactio* η, ϑ, ϰ, μ, π, ββ, γγ, δδ, εε, ζζ, ϰϰ; *malfatio* δ; *palfactio* α; *madefactio* ηη, ϑϑ. Malfactio s. malefactio medicis (praesertim Gallis) medii aevi dicitur lipothymia, cfr. Aegid. Corbol. de medic. compos. l. 2. v. 142; et Reinesii var. lection. l. 3. c. 4. pag. 393. — 656 *Reparare vigorem* η. — 657 *Siccus p. c. et ustus* δ. — 658 *Appositum* α, ηη, ϑϑ, ϰϰ. *Appositam veterem dicunt* λ, π. Cfr. Regim. Salern. v. 214. — 659 *Emendare cruores* ϰ; *emundare tumores* α. — 660 *Tepida perm. polenta* ϰϰ. „Polentae i. e. farinae in aqua dilutae" G. — 661 *Caerotis* δδ, εε, ζζ, ϰϰ; *ceratis* ηη, ϑϑ. *Corp. pellit* η, ϑ, λ; *pellis* δ. — 662 *Splenet. eadem* λ, π. Inter hunc et sequentem versum interponit δ versus 912—927: *Hocque modo—mixt. muliebri,* ex cap. de Ostrutio. — 665 *Matr. proderit* λ; *matr. poterit* μ, π. *Poterit cur. dolorem* ϰ; *pot. sedare tumores* ϑ. — 667 Post hunc versum interponit decem alios versus huc non pertinentes μ. — 668 Hunc versum cum sequentibus huius capitis omittunt γ, η, λ, π. — 669 *Mixtam contritam* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *mixto contr.* αα, ββ, γγ et codd. — 670 *Haec contrita acri radix iungatur aceto* ϑ; *Si rad. acri trita iungatur* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *contr. iug.* δ, ϰ, ζζ; *rad. contr. acri iungatur* ϰϰ. — 671 *Sedavit* ββ. — 673 *Assumptum* α, β, δ, ϑ, ϰ, μ et edd.; nostram lectionem habet G.

Herba virens curat morsus cum melle caninos,
Si superaddatur et vino mixta bibatur.

## XVII. FENICULUM.

Feniculum medici calidum siccumque secundo
Dicunt esse gradu, Marathrum Graecus vocat illud.
Cum vino cunctis obstat haec herba venenis,
Hac mansa serpens oculos caligine purgat,
Indeque compertum est humanis posse mederi
Illam luminibus, atque experiendo probatum;
Radicum succus oculis cum melle perunctis
Pulsa reddit eos omni caligine claros;
Expressus Marathri viridi de semine succus
Soleque siccatus magnum medicamen habetur
Ad quoscunque voles oculorum pellere morbos.
Auribus infusus vermes succus necat eius,
Renibus in ptisana radix decocta medetur,
Cum vino fugat hydropicos potata tumores,
Sicque venenatis obstabit morsibus illa,
Sic quoque pulmonis obstat iecorisque querelis,
Et sic nutrici sumpta fit copia lactis.
Cum vino vel aqua radicum coctio sumpta
Nefreticis et vesicae morbis medicatur,
Urinas purgat et menstrua sumpta resolvit,

---

676 *Virens morsus curat cum* ϑ. — 677 Post hunc versum addit β, δ, ϰ quatuor versus ex capite de feniculo, scil. 681 cum tribus sequentibus. — 679 *Maratrum* codd. et edd. nonnullae. — 680 *Obstat potata venenis* β; *cunctis haec obviat herba* ϰϰ; *Obstat cum vino cunctis h. h. venenis* ϑ, λ. Post hunc versum addit β, γ, λ, ζζ sequentem: *Et sic assumptum venerem stimulare videtur*, qui ex v. 673 capitis prioris huc tractus esse potest, nam η habet eundem versum, sed *fatetur* pro *videtur*. — 681 *Calig. curat* αα, ββ, G; *purgat* α, β, γ, η, ϑ, ϰ, λ, μ, π, γγ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. — 682 *Posse prodesse* γ. — 683 *Expediendo* αα, ββ et codd. nonnulli; *experiendo* δ, η, ϑ, μ, γγ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ, G. *Probatur* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *probatum est* η, γγ. *Luminibus multisque probatum dicitur esse* γ, λ, π. — 684 *Radicis succus mixtus cum melle recenti* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *radicum succ. mixt. c. melle rec.* α; *radicis succ. oculis c. m. perunctus* ζζ; nostr. lectionem habent αα, ββ, γγ, ϰϰ, G, et codd. nonnulli. — 688 *A quiscunque velis* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *ad quoscunque valens* ϑ. *Tollere morbos* λ. — 691 *Vino curat* αα, ββ, γγ, G. — 692 *Obstat* αα, ββ, G; *obsistit* ζζ. — 694 *Hac sic nutrici* γ, ϑ, λ; *hac et nutr.* ζζ. — 695 *Radicis* δ, ϰ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. — 696 *Neufreticis* αα, ββ, γγ; *nephriticis* ζζ. *Morbo* λ.

Vel si trita super pecten haec herba ligetur;
Nausea cum vino sumpta sedabitur illa,
Fervorem stomachi cum lympha mitigat hausta.
Radix illius vino decocta dolores
Fomento curat, patitur quos virga virilis,
Hoc quoque, si iungas oleum, facit, hocque perungas.
Ictu vel factos subito quoscunque tumores
Appositum tantum iuncto sedabit aceto.
Semen cum vino bibitum veneris movet actus,
Hocque modo lateris diros sedare dolores
Dicunt aut herbae si sit decoctio sumpta.
Tradunt auctores eius iuvenescere gustu
Serpentes et ob hoc senibus prodesse putatur.

## XVIII. ACIDULA.

Dicimus Acidulam, quam Graecus dicit Aizon;
Sic dici credunt, sapor illi quod sit aceti.
Crescit arenosis in pratis et secus amnes,
Hanc avide quidam comedunt in tempore veris
Expertumque ferunt, sibi quod fastidia tollat;
Virtus est illi siccans et frigida valde
Tertius a medicis datus est gradus huic in utroque.
Hac fugit apposita sacer ignis et herpeta mordax,
Et tumor ex oculis tritae cataplasmate cedit.
Ulcera, quae serpunt, cohibet combustaque curat

---

698 *Pectus αα, ββ, δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ; pecten* (i. q. regio pubis) *α, β, γ, δ, η, ϑ, λ, μ, π, ζζ.* — 699 *Sedab. ista δ.* — 700 *Cum vino mitigat δ.* — 701 *Cum vino cocta ϑ.* — 703 *Oleo facit α, γ, δ, η, ϑ, λ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; oleum* G, *αα, ββ, γγ. Atque perungas β, γ, λ, π. Oleo faciemque perungas κ.* Sensus est: si radicem feniculi non ex aqua sed ex oleo decoquis et hoc oleo virgam perungis, idem praestat in doloribus virgae curandis. — 704 *Ictus α, β, γ, δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ.* — 705 *Apponas tritam γ, λ, π, δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ; apponens tritam α, β, δ, η, ϑ, κ, μ, γγ, ζζ; appositum tantam αα, ββ. Mixto sedabis γ, λ, π.* Nostram lectionem tuetur Gueroaldi explicatio: feniculum solummodo cum aceto iunctum et appositum curare eiusmodi tumores. — 706 *Actum δ.* — 707 *Later. dicunt sedare γ, η, ϑ, λ, π.* — 708 *Diros aut γ, ϑ, λ, π; duros aut η; dicitur aut β. Decoctio facta δ.* — 710 *Serp. cibus hic senib. β; serp. et ad hoc senib. η.* Post hunc versum addit *α*: *Oris foetorem depellit et ebrietatem*; et *β*: *Et stomacho potius non lota comesta medetur.* — 711 *Acedula, accidula. Aiozon, ayzon, aiçon, aizoum, aizoon, aoxon, ozion* etc. Vario modo leguntur haec nomina in codd. et edd. antiquis. *Omnes accidulam ζζ. Vocat μ.* — 715 *Tollit β, γ, μ.* — 717 *Datur gradus αα, ββ, γγ.*

Et multum calidae dicunt prodesse podagrae,
Si fuerit foliis illius operta virentis
Aut cataplasmetur mixta contrita polenta.
Eius cum roseo succus permixtus olivo
Dicitur antiquo capitis prodesse dolori,
Qui dolor est lingua dictus cephalargia graeca.
Omne genus fluxus ventris restringere mire
Cum vino potata solet vel mansa frequenter,
Hocque modo nimium manantia menstrua sistit,
Vel si matrici tritam viridem superaddas;
Sic quoque lumbricos pellit potata rotundos,
Taliter et cunctis prodest potata venenis.
Exhilarat visus succus illius inunctos
Cum vino variis obstat potata venenis.
Affirmant istam qui secum gesserit herbam
Quod non appetat hunc letali scorpius ictu.
Auribus expressus si succus funditur eius
Adiuvat auditum mire pellitque dolorem.
Altera vero *minor* species est istius herbae,
Quam Sempervivam dicunt, quoniam viret omni
Tempore, Barba Iovis vulgari more vocatur;
Esse refert similem praedictae Plinius istam,
Nec minus hanc cunctis praedictis posse iuvare;
Mane solent adeo palpebrae glutine quodam

---

723 *Cataplasmate mixta αα, ββ; cataplasmentur mixta γγ; cataplasmata mixta δδ, εε, ηη, ϑϑ; cataplasmatur mixta cum tr.* α; nostr. lect. η, ϑ, ϰ, λ, μ, π, ζζ, ϰϰ. — 724 *Commixtus* λ; *perunctus αα, ββ, γγ.* — 726 *Et dolor αα, ββ. Qui dolor e. linguae dictus cephalalgia graecae ϰϰ; qui dictus dol. e. lingua cephalargia δδ, εε, ηη, ϑϑ.* — 728 *Solet et mansa* η. — 729 Hunc et sequentem versum omitt. α. *Menstrua purgat* π. — 730 *Viridem tritam* δ, η, ϑ. *Superaddis* λ, μ, π. — 732 *Prodest haec herba venenis* α; *obstat potata venenis* π. — 733 *Exclarat visus* λ, π. *Illius succus inunctos* γ, η, λ; *illius succus inunctus* α, β, ϑ, ϰ, μ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. Hunc et sequentem versum omitt. δ. — 734 Versus hic deest in ζζ, ϑ, forsan recte, cum iam v. 732 idem dicatur; cum proxime antecedenti omittit eum δ. *Cum vino varia pellit potata venena* ϰ. — 735 *Secum qui gesserit* λ. — 736 *Quod hunc non appetat* β, ηη, ϑϑ; *quod non appetet hunc* δδ, εε, ζζ; *appetat hunc quod non* ϰ. — 737 *Succus si* β, γ, δ, ϰ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 739 *Illius* α, γ, ϑ, λ. — 741 *Herba Iovis* αα, ββ. Lingua francogallica hodie adhuc dicitur *Joubarbe.* — 743 *Nec minus in cunctis praedicta* ϰ; *nec minus omnibus hanc praedictis* α, γ, δ, η, ϑ, μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. — 744 Hunc versum et tres proxime sequentes omitt. γ, δ, π, alia non multo recentiori manu habet μ. *Sane solent* ϰϰ.

Flegmatis astringi, valeant ut vix aperiri,
Has mire succus herbae deglutinat huius,
Illo si tactae fuerint digitove perunctae.

## XIX. PORTULACA.

Andrachne graece quae Portulaca latine
Dicitur, haec vulgi Pes pulli more vocatur.
Humida vis eius et frigida dicitur esse,
Tertius humoris, frigoris vero secundus
Huic gradus est. Febrem, quam causon Graecia dicit,
Inde iuvat, stomacho viridis superaddita trita,
Praestat idem succus, si sumitur; herbaque mansa
Aut ut olus accepta, solet lenire calorem.
Mansa vel hausta potest nimium restringere fluxum
Sanguinis et ventris nimium cohibere fluorem.
Esse vetat dentes illis contrita stupentes,
Et tumidis oculis prodest superaddita trita,
Fervorem solis aestate comesta nocere
Non sinit et ventrem cum vino et cum sale mollit,
Vesicaeque solet sedare comesta dolores.

---

746 *Herbae succ. mire* μ. *Deglut. eius* η. — 747 *Illo si tinctae* μ; *illo si sparsae* G. *Digitoque* α, ϰ, λ. — 748 *Andragnis* ϑ, μ; *andrachne* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. — 750 Ab hoc versu incipit locus corruptissimus, quem ad Gueroaldi mentem restituere conatus sum incerto eventu, nam codd. non minus variant, quam editiones. Ex his habet ββ, γγ: *Tertius humoris frigoris vero secundus Huic gradus est; febrem quam causon grecia dicit Trita super stomachum viridis si ponitur herba Praestat idem* etc. Edd. δδ, εε habent: *Tertius humori stridori vero secundus Huic gradus est, utilis stomacho quoque habetur Trita super stom. viridis si pon. herba Praest.* etc. Ed. ζζ omitt. v. 751 et sequuntur statim post v. 750 haec: *Inde iuvat febrem quam dixit graecia causon Trita sup. stom. vir. si pon. herba Praest.* etc. Edd. ηη, ϑϑ habent post v. 750 haec: *Unde iuvat febrem quam dicit graecia causon Tertius humori stridori vero secundus Huic gradus est utilis stomacho quoque habetur Trita sup. stom. vir. si pon. herba Praestat* etc. Ed. ϰϰ habet: *Tert. humoris frigdoris vero sec. Huic gradus est nec non stomacho utilis esse putatur Unde iuvat febrem quam dicit graecia causon Trita sup. stom. vir. si pon. herba Praest.* etc. Versum 753 habent codd. α, β, ϑ, ϰ, λ: *Non modicum sedat stomacho superaddita trita.* — 755 *Aut accepta ut olus solet hunc lenire calorem* δ, ϑ; *aut acc. solet ut olus lenire* ϰ, λ. — 757 *Et nocuum ventris cohib.* γ, λ, π; *et ventr. nocuum cohib.* ϑ, μ. — 758 *Dentes quibus est contrita* α, β, ϑ, ζζ, ϰϰ. — 759 *Et humidis oculis* μ. — 762 *Comesta sedare* η. *Dolorem* λ. Post hunc versum addunt α, β, δ, ϰ, λ, μ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ: *Est haemoptoicis* (alii *haemophthisicis*) *haec saepe comesta salubris*, qui versus deest in antiquioribus editionibus et in Gueroaldi commentario.

Acidulae similes huic pene per omnia vires
Effectusque pares testatur Plinius esse.

## XX. LACTUCA.

Frigida Lactucae vis constat et humida valde,
Unde potest nimios haec mansa levare calores,
Et praestabit idem superaddas si bene tritam;
Utilis est stomacho, somnum dat, mollit et alvum,
Omnibus his melius prodest decocta comesta,
Et stomacho potius non lota comesta medetur.
Lactucae semen compescit somnia vana,
Cum vino bibitum fluxum quoque reprimit alvi,
Lac dat abundanter nutrici sumpta frequenter.
Ut quidam dicunt oculis caligo creatur
His, quibus assiduo fuerit cibus eius in usu.

## XXI. ROSA.

Dici flos florum nobis Rosa iure videtur,
Quod specie cunctos praecedat odoreque flores.
Non tamen haec specie tantum nec odore iuvare
Nos valet, at variis nos adiuvat illa medelis,
Eius sicca gradu vis est et frigida primo.
Compescit sacrum, si trita apponitur, ignem,
Sic quoque, si stomachus calet aut praecordia, sedat;
Fluxum matricis cum vino stringit et alvi,
Illius succum collyria plurima quaerunt,
Et siccae pulvis morbis bene subvenit oris,
Infrictus per se tantum cum melleve mixtus.

---

764 Andrachnen agriam seu portulacam silvestrem aeizoo minori similem esse Plinius XXV. 13 affirmat, non portulacam, de qua agitur in hoc capitulo, acidulae. — 765 *Fervida* lact. π. — 766 *Levare dolores* ϑ. — 767 *Bene tritam si superaddas* η. Omitt. ϑ. — 768 *Emollit* αα, ββ. — 769 *Prodest melius* α, β. — 770 Hunc versum omitt. αα, ββ, γγ, G; post 775 ponit eum β. — 771 *Componit somnia* γ, π. — 772 *Reprimet* δδ, εε; *comprimit* κ, ζζ. — 773 *Cum vino sumpta* π. — 774 *Curatur* αα, ββ, γγ; ἀμβλυωπίας εἰσι ποιητικαί Diosc. — 775 *Assidue* α, γ, δ, ϑ, λ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 777 *Cunctas species* κ. — 778 *Species tantum* κ; *tantum specie* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Tantum vel odore* δ. — 779 *Ut var.* η, ϑ; *ac var.* α; *et var.* ηη, ϑϑ. *Adiuvet* η. — 782 *Praecordia sanat* η. — 784 *Colleria* αα, ββ. — 786 *Iniectus* ϑ. *Persaepe tantum melleve* μ. *Melleve iunctus* δ.

Omnes fervores superaddita trita coërcet
Ipsa recens, vel si mulsae commixta bibatur.
Ex hac conficitur oleum, roseumque vocatur,
Diversis morbis et multis utile causis:
Si bibitur ventrem mollit stomachique calorem
Extinguit nimium; bene si foveatur eodem
Et dolor et fervor capitis curabitur illo;
Permiscendo sibi si forte iugatur acetum
Expurgat sordens vulnus repletque profundum
Et combusturis praeclare convenit ignis;
Ore diu tentum dentis sedare dolorem
Dicitur et duras palpebras reddere molles;
Aufert suppositum pruritus interiorum
Et stericis variis solet hoc succurrere causis.
Hoc oleum quoniam variatur conficiendo,
Dicam Palladius quid scripserit inde peritus:
Quod rubeum fuerit foliorum sumito floris
Uncia sic purgatorum iungatur olivi
In libra, vitreo sic claudens omnia vase,
Sub Phoebo tantum septem suspende diebus,
Inde medelarum varios servetur ad usus.

## XXII. LILIUM.

Aurosas ut credo rosas argentea debent
Lilia iure sequi, quae nec specie nec odore
Cedere creduntur roseo collata decori,
Nec minus in multis hominum sunt apta medelis.

---

788 *Mulsae contrita* δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ; *cum mulsa trita* ζζ. — 791 *Stomachique dolorem* λ. — 794 *Permiscendo illi si* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Iungatur* β, η, λ, μ. Nostram lectionem habent: α, γ, δ, ϑ, κ, π, κκ. — 795 *Sordes* α, γ, δ, ϑ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; *sordens* αα, ββ, γγ, G. *Vulneris expurgat sordes repletque profunda* π. — 796 *Subvenit* α, δ, η, ϑ, κ, λ, μ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; *convenit* αα, ββ, γγ, G. — 797 *Dolores* δ. — 799 *Appositum* α. — 800 *Variis valet hoc succ. causis* δ, ϑ, λ, μ, π; *var. valet h. succ. morbis* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *Hystericis variis valet et succ. morbis* ζζ; *Hystericis variis solet hoc. succ. causis* κκ, cfr. v. 13. — 802 Pallad. de re rustica VI. 15. *Quod scrips.* κκ. *Ipse peritus* αα, ββ, γγ. — 803 *Rubrum* εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *rubeum* α, γ, αα, ββ, δδ, κκ, G. — 804 *Mergatur olivi* δ, η, κ, μ, π, κκ. *Olivae* η. — 806 *Septem tantum* γ, π. — 807 *In medelarum* ηη, ϑϑ. *Servetur in* η. — 808 *Laurosas* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *aureolas* ζζ, κκ; *aurosas* (i. e. coloris aurei G.) α, β, γ, δ, η, ϑ, κ, λ, μ, π, αα, ββ, γγ; cfr. Adelung glossar. manuale mediae et infim. latinitatis I, 487.

Eius radicis bulbus, quae Lilia profert,
Sub prunis tectus iuncto quoque tritus olivo
Prodest usturis mire superadditus ignis,
Et melius roseum sibi si iungatur olivum;
Duras matrices mollit, si subditur, idem.
Elixis eius foliis cataplasmate facto
Mollescunt nervi, combustaque membra iuvantur,
Sicque superpositis morsus curabitur anguis,
Aut si cum vino bulbus potabitur ille,
Sic quoque fungorum vetat ille venena nocere.
Hunc vino coctum tritumque pedum superadde
Clavis, nec solvas nisi cum lux tertia transit;
Pingui porcino decoctus idem vel olivo
Reddere posse pilos membris narratur adustis.
Cum vino potum nocuum purgare cruorem
Per ventrem dicunt et sic prodesse lieni,
Sicque iuvat vulvas, sic idem menstrua purgat,
Vel si cum vino veteri coctum superaddas.
Praecisis nervis tritus cum melle medetur
Expressus succus foliorum, mixtus aceto
Et melli coquitur sic, mellis sint et aceti
Ut geminae partes, praedicti quinque liquoris;
Ad desiccandas nihil est magis utile plagas,
Inque cicatricem ducit licet inveteratas
Elixus bulbus et cerotis bene mixtus;

---

812 *Qui lilia profert* γ, δ, η, λ, π, κκ; *quem lilia praebent* α. — 813 *Sub prunis coctus* α, β, γ, η, ϑ, κ, μ, γγ, ζζ; *tectus* αα, ββ, δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ, G. *Iuncto vel tritus* γ. — 816 *Duritias stericas* γ, π, δδ, εε, ηη, ϑϑ; cfr. v. 13. *duras matrices* αα, ββ, γγ, ζζ, κκ, G. *Subditur illi* π; *subditur illud* κκ. — 817 *Cataplasmaque factum* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *cataplasmaque factis* α, μ. — 819 *Superposito* λ; *superpositus* α, β, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *superpositis* η, ϑ, κ, μ, κκ, G; *sic quoque suppositis* γγ. — 820 *Potab. ipse* κ, λ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *eius* γγ, κκ. — 822 *Pedis* η. — 823 *Lux cum* δ. — 824 *Decoctus pingui porcino* β, γ, ϑ, π; *Porcino si decoquis hunc vel* λ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 826 *Nocuum potum* κ. *Purgare calorem* αα, ββ; *curare cruorem* α. — 828 *Iuvat vulnus* ηη, ϑϑ. — 829 *Tritum superaddas* γ, ϑ; *coctum superaddes* ηη, ϑϑ. — 832 *Coctus sic* γ, ϑ; *coctus sint* π; forsan *coquitus. Coquitur geminae miscentur aceti* α. — 833 *Ut gramen* αα, ββ, γγ, quibus etiam Gueroaldi commentarius adstipulatur: „id est in eo pondere quantum erat gramen id est herba a qua fuit succus expressus“. *Et mellis partes* α. — 835 *Inque cicatrices* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; *inde cicatrices* λ; *atque cicatrices* π; *indeque cicatricem ducit licet inveteratam* αα, ββ, γγ; nostram lectionem habet η, μ. — 836 *Caeratis* ηη, ϑϑ.

Rugas distentat vultus, maculas fugat omnes,
Lichenas purgat, faciem quoque furfure mundat.
Exprimitur succus de tritis floribus eius,
Qui mollit vulvas cum lana subditus illis;
Illitus asseritur sudorem posse movere;
Turgida maturat, pus concoquit et cito purgat.

## XXIII. SATUREIA.

Thymbra solet graece dici, Satureia latine,
Illi sicca minus vis est, sed fervida valde.
Provocat urinam cum vino et menstrua sumpta,
Pellit abortivum, muliebria viscera purgat.
Illius pulvis cum cocto melle subactus
Et mansus (vel cum vino si sumitur idem)
Pectoris humorem pellit per sputa tenacem.
Cum vino tepido compescit tormina ventris
Si large bibitur, verum iam saepe probavi.
Est quidam morbus letargus nomine dictus,
Oppositum medici quem dicunt esse frenesi,
Quod vetat haec somnum, somno gravat hic nimis aegrum,
Hoc tam letali somno depressus aceto
Thymbram commiscens foveat caput inde frequenter,
Sic vitium pigri poterit depellere morbi.
Hanc herbam caveat mulier contingere praegnans,
Nam non mansa modo sed partum subdita pellit.
Nausea sedatur hac, si bene trita sumatur

---

837 ***Distendit*** α, β, δ, η, κ, λ, μ, π et plur. edd.; *deducit* γ; *detergit* ϑ; *distentat* αα, ββ, γγ, G. — 838 *Furf. mundat* α, β, γ, δ, η, κ, λ, μ, π et plur. edd.; *furf. purgat* αα, ββ, γγ, G. — 840 *Qui vulvas mollit* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *emollit vulv.* α. — 842 *Maturat primo coquit et* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *maturat post concoquit et* αα, ββ; *maturat post conquoquit et* γγ; *mat. post decoquit et* κ; *mat. sordem coquit et* δ; *mat. pus cum coquit et* α; *mat. pus concoquit et* ζζ, κκ; *mat. pus exquoquit et cito mundat* γ. — 844 *Sicca nimis* γ, δ, η, ϑ, μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *sicca minus* κ, λ, π, G, γγ, κκ. *Est et* γ, δ, η, ϑ, λ, π. — 845 *Et* omitt. δδ, εε, ηη, ϑϑ. *Et menstrua purgat* α. — 846 Hunc versum omitt. α. — 848 *Vel si cum vino sum.* ϑ. — 849 *Humores p. p. sp. tenaces* γ, ϑ; *humorem pellit persumpta tenacem* β, δδ, εε, ηη, ϑϑ. — 851 *Vinum iam* ζζ. — 854 *Quod v. h. s. s. gravat ille sed aegrum* ex Cornarii coniectura ζζ, κκ. — 855 *Lethali morbo* ζζ, κκ. *Somno deprensus* γ, η, ϑ. — 857 *Poteris* γ. Piger morbus i. e. letargia. — 858 *Deprendere praegn.* γ; *apprendere pr.* ϑ. — 859 *Subdita tollit* α, π, δδ, εε, ηη, ϑϑ. — 860 *Trita bibatur* α, β, γ, ϑ, κ, λ, μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. Hunc versum omitt. δ.

Cum modico vino, vel si sumatur in ovo;
Hocque modo mire venerem solet illa movere,
Si largo potu viridis vel sicca bibatur;
Quod si cum vino mel iungitur et piper illi,
Non modicum veneris succendere dicitur ignem.
Hinc est a Satyris merito Satureia vocata,
Quod sint in venerem nimis haec animalia prona.
Si desit thymus pro thymo ponere Thymbram
Praecipiunt medici, quia vis est aequa duabus.

## XXIV. SALVIA.

Salvia, cui nomen Elelisphacus est apud Argos,
Cum mulsa iecoris prodest potata querelis,
Pellit abortivum, lotiumque et menstrua purgat,
Trita venenatos curat superaddita morsus,
Crudis vulneribus (quae multo sanguine manant)
Apponas tritam, dicunt retinere cruorem.
Cum vino succus tepidus si sumitur eius,
Compescit veterem tussim laterisque dolorem.
Pruritus vulvae curat virgaeque virilis,
Si foveas vino fuerit quo Salvia cocta.
Illius succo crines nigrescere dicunt,
Si sint hoc uncti crebro sub sole calenti.

## XXV. LIGUSTICUM.

A Ligurum patria sumpsere Ligustica nomen,
Copia quod maior ibi nascitur illius herbae;
Tertius huic gradus est sicci calidique vigoris.

---

861 *Sed si* ηη, ϑϑ. Hunc versum cum duobus sequentibus omitt. λ. — 862 *Solet ista* β. — 864 Hic versus et tres proxime sequentes aliis locis leguntur in η, ϑ, κκ; omittit eos α. — 865 *Ignes* β. — 866 *Satyris mer. satyrea* δδ, εε, ζζ; *satyreia* ηη, ϑϑ. — 868 *Sumere thymbr.* α, κ. — 869 *Aequa duobus* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *una duabus* ϑ, μ. — 870 *Elifagus, eliphagos, elisifagus, elilisfagus, elisfagus* etc. — 873 *Iuvat superaddita* δδ; *iuvat et sup.* εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 875 *Apponis* β; *appones* γ; *apponant* μ. — 876 *Tepidus si sum. huius* κ, μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; *tepido si sum. huius* β; *tepido si sum. eius* γ, δ, ϑ. — 877 *Ventrem* δδ, εε, κ; *venerem* α, δ, ηη, ϑϑ; *tuss. veterem* γ, ϑ. — 878 *Membrique virilis* λ. — 880 *Dicunt nigrescere crines* γ, η, ϑ, λ. — 881 *Sunt hoc uncti* δ; *sint peruncti* α; *sint humecti* κ. *Sole tepenti* γ, ϑ, ζζ. — 882 Inscriptio *Ligustica* αα, ββ; *Ligusticum* γγ etc.; *Levisticum* κ; *Libisticum* λ. — 884 *Calidi siccique* λ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ.

Maior radicis vis est et seminis eius
Et par est illis vis in medicamine quovis.
Inflato stomacho cum vino sumpta medetur
Et tali potu vis digestiva iuvatur,
Omnibus et morbis sic prodest interiorum,
Urinas sic sumpta movet et menstrua purgat.
Tota venenatis medicatur morsibus herba,
Si bibitur bene trita prius vinoque soluta,
Et pars contritae ponatur desuper herbae.
Non modicum colicis prodest haec mansa vel hausta,
Vel si radicis elixatura bibatur,
Nec solum colicis decoctio proderit ista,
Sed supradictis medicabitur omnibus hausta.
Digestibilibus semen bene iungitur eius
Omnibus antidotis, quod inest sibi peptica virtus.
Hanc oculis Strabus potuque et odore nocivam
Asserit, antidotis eius tantummodo semen
Misceri iussit, haec utrum dixerit a se
Aut a doctorum libris non est mihi notum;
Hoc scio, quod veteres non parvis laudibus istam
Attollunt herbam, nec me legisse recordor
Ullum, qui Strabi sermonibus astipuletur.

## XXVI. OSTRUTIUM.

Struthion, Ostrutium quod vulgi more vocatur,
Vim calidam siccamque tenet. Radix fugat eius
Cum vino morbos iecoris, si trita bibatur,
Ictericos sic sumpta iuvat, splenisque tumorem

---

885 *Radicum* α. — 887 *Medentur* α, μ. — 889 *Prosunt* α, β, γ, δ, η, λ, μ, π. — 890 *Movent et m. purgant* α, γ, δ, η, ϰ, λ, μ, π; *movet sic* ϑ. — 896 *Non solum* λ. *Subvenit illa* β; *subvenit ista* α, γ, η, ϑ, λ, μ; *subvenit hausta* ϰ. — 898 *Bene semen* ϑ; *semen bene subvenit* λ. — 899 *Pectica* η, αα, ββ, γγ; *pontica* δ, ϰ; *pentica* λ. — 900 Vide Walafridi Strabi hortulum v. 230 sq. — 902 *Hoc verum* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 903 *An a* αα, ββ. — 905 *Extollunt* α, β, γ, η, ϑ, ϰ, λ, μ, π. — 906 Post hunc versum addit λ: *Ut dixi Ligurum radix haec cedit in usum.* — 907 *Strucion* α, γ, ϰ, λ, π; *strution* ϑ; *struction* δ, η, μ, δδ; *strutium, strucium* β, ββ; *struthion* εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. *Astricium, astritium* λ, α; *ostritium* ϑ, η, μ; *ostricium* ϰ; *ostrutium* β, γ, δ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ; *ostrucium* π.

Durum, quem Graeci sclirosim dixere, repellit.
Hocque modo lapides vesicae frangere dicunt,
Menstrua sic lotiumque movet tussique medetur,
Sic orthopnoicis prodest, si saepe bibatur.
Subdita matrici depellere fertur abortum,
Et sic tarda nimis educere menstrua tradunt;
Acri cum vino si iungitur atque polenta
Illius succus, lepras emundat inunctas.
Hoc etiam succo, iuncto cum polline quod dant
Hordea, curatur (ut dicunt) pustula quaevis,
Si superaddideris emplastri more dolori.
Illius succus cum melle terendo iugatus
Humores capitis purgat si nare trahatur;
Sternutamentum per se pulvis movet eius,
Naribus iniectus veratro non segnius albo.
Ictericis succus mire medicabitur eius,
Hunc si nare trahant lacti mixtum muliebri.

## XXVII. CEREFOLIUM.

Est Cerefolio vis acris et ignea valde.
Appositum cancris tritum cum melle medetur;
Cum vino bibitum lateris sedare dolorem
Saepe solet, tritam si nectis desuper herbam.
Cum mulsa bibitum pituitae noxia solvit,
Ex oleo coctum frigus depellit inunctum,

---

911 *Durum quem* δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ, α, γ, δ, η, ϑ, κ, λ, μ, π; *morbum quem* αα, ββ, γγ. *Durum quem Graecis sclerosin dicere mos est* ζζ ex mente Cornarii. — 912 Hunc versum et omnes sequentes huius capitis habet δ in capite de Pulegio post v. 662. — 913 *Lotiumque iuvat* ϑ; *lot. nocet* δ. *Tussimque* β, γ, η, δδ, εε. — 914 *Emoptoicis* ϑ, κ; *haemopthoicis* κκ. — 916 *Seducere menstr.* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *depellere menstr.* α, μ. *Menstr. dicunt* γ, η, λ; *credunt* δ. — 918 *Emendat inunctas* ηη, ϑϑ; *emundat inunctus* α, β, δ, κ, μ, κκ. — 919 *Quod dant* αα, ββ, G; *quem dant* plur. codd. et edd. — 920 *Hordea* κ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; *ord.* al. — 923 *Curat si* η, ϑ. Hunc versum omitt. α. — 925 *Nitro non* λ. *Nec segnius* ϑ. — 926 *Hictericos* α; *ictericos* η. *Mire succus* γ, λ. *Medicabitur haustus* ϑ; *medicab. huius* α. — 927 *Mixt. lacti* γ, η, β. — 928 *Ceripholium*, *Cerofol.*, *Caerifol.*, *Chaerefol.*, retinuimus denominationem medio aevo maxime solennem. — 929 Hunc versum cum proxime sequenti et v. 941 habet Regimen Salern. v. 207 sq.; recurrit etiam 1282 in cap. de Pastinaca. — 931 *Nectas* γ, ϑ, λ, μ. — 932 *Noxia tollit* η. Post hunc versum addit λ: *Humor viscosus pituita est conglomeratus.* — 933 *Oleo iunctum* α.

Si tritum mixto violento solvis aceto
Lumbricos tali potu tineasque repellis,
Cum vino ciet urinas et menstrua purgat.
Virgine cum cera vetus huic axungia mixta
Non modo parotidas verum quoscunque tumores
Curat vel reprimit, si saepius hoc superaddas.
Intinctum valido si manducetur aceto
Saepe solet vomitum ventremque tenere solutum;
Si trito tegitur pecten succusque bibatur
Urinae clausos reserat quoscunque meatus;
Illius elixatura vertigo fugatur,
Si caput hac tepida patientis saepe lavetur
Herbaque temporibus et fronti cocta ligetur.

## XXVIII. ATRIPLEX.

Infrigidare gradu primo, humectare secundo
Attriplicem dicunt. Eius mollit cibus alvum,
Duricias solvit varias clavisque medetur,
Emplastrum crudae vel coctae si superaddas;
Hocque superpositum scabros cito detrahit ungues,
Ignibus et sacris dicunt sic posse mederi.
Attriplicem tritam cum nitro, melle et aceto,
Dicunt appositam calidam sedare podagram.
Ictericum dicit Galienus tollere morbum
Illius semen cum vino saepius haustum.

---

934 *Mixtum* δ. *Violenti* α, δ, ϰ, μ. *Jungis aceto* ϑ. — 935 *Repellit* δδ; *repelles* α, γ, ϑ, ϰ, λ, μ, π. — 937 *Unguine cum cera* β, γ; cera virgo est cera alba secundum Gueroaldi interpretationem. *Caera* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. — 939 *Et reprimit* η. *Haec* δ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. *Superaddis* γ, δ, ϰ. — 942 *Tegitur pectus* αα, ββ, δδ, εε, ηη, ϑϑ; *teg. pecten* α, β, γ, δ, η, ϑ, ϰ, λ, μ, π, G, ζζ, ϰϰ. — 943 *Reserat clausos* λ. — 946 *Saepe ligetur* ϰ. — 947 *Infrigdare* λ, π, ϰϰ. — 948 *Atriplicem* αα, ββ, γγ, ηη, ϑϑ, ϰϰ et plur. codd.; *attripl.* metri causa habent λ, δδ, εε, ζζ. — 950 *Coctae vel crudae* α, β, η, ϰ, λ, μ. *Superaddis* π. — 951 Gueroaldus: „scabros i. e. leprosos.“ *Detrahet* λ, ϰϰ. — 952 *Dicitur* ηη, ϑϑ. *Dicunt bene posse* μ; *dicunt sic saepe* ϑ. — 953 *Atripl. Attripl.* uti v. 948. *Cum mixto melle* λ. — 955 *Ycterícon* αα, ββ, γγ, G. *Galenus* γγ. *Ictericis dicitque Galenus* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *ictericum dicitque Galenus* ζζ, cfr. v. 158; nostram lectionem habet β, γ, δ, η, ϑ, ϰ, λ, μ, π, ϰϰ. Vide Galen. de simplic. temperam. et facult. l. 6. c. 73, ed. Kühn, tom. 11. p. 843.

## XXIX. CORIANDRUM.

Frigida vis herbae Coriandri dicitur esse,
Austeraeque simul quiddam virtutis habere
Hanc Galienus ait, per quam depellere ventre
Lumbricos tineasque solet, si trita bibatur
Cum vino vel si mixto sumatur aceto.
Uva cum passa Coriandrum melque iugatum
Sedabunt varios superaddita trita tumores,
Praecipue testes tumidos iuvat hoc medicamen.
Illius semen ventrem stipare solutum
Fertur, aquae iunctum fuerit si saepius haustum.
Argenti spumam cerussae contere mixtam
His tritis succum Coriandri iunge et acetum,
Quattuor his roseum miscendo iugabis olivum,
Ista terendo simul pretiosum conficis unguen,
Quo sacros ignes pellas calidosque tumores;
Si tibi difficilis confectio tanta videtur,
Succus cum solo prodest commixtus aceto;
Aut si frumenti panis mundissima mica
Iungitur huic succo sedat quemcunque calorem.
Huic succo si iuncta fabae sit sola farina
Et superaddatur scrophis medicabitur illis
Et cedet fervens emplastro pustula tali.
A multis scriptum legitur: febris ante tremorem
Si tria grana voret Coriandri seminis aeger,
Evadet febrem cui dat lux tertia nomen;
Praestat idem lectum Coriandrum mane priusquam
Sol surgat cervicali si subditur aegri.

---

958 *Scimus quiddam* Guer. — 959 ***Hinc Galienus*** β; ***hancque Galenus*** δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ; ***hancce Galenus*** ζζ. Vide Galen. de simplic. temp. et facult. l. 7. c. 43, ed. Kühn, tom. 12. p. 36. ***Ventris*** β, κ, λ, π; ***ventrem*** α. — 961 ***Mixto bibatur*** η; ***mixto vel si sumatur*** ϑ; ***vel si mixta sum.*** α, κ, δδ, εε, ηη, ϑϑ; ***vel si mixto iungatur*** γγ. — 962 ***Melleque*** μ. ***Iugatur*** κκ. — 963 ***Sedabit*** α, γ, γγ, κκ. — 964 ***Testes crudos*** αα, ββ; ***testes humidos*** η. — 966 ***Aqua*** αα, ββ, γγ et plur. codd. — 969 ***Iugabis acetum*** αα, ββ, G. Hunc versum omitt. δ. — 971 ***Pelles*** α, κ. — 974 ***Et si*** δδ, εε, ηη, ϑϑ; ***at si*** ζζ. — 975 ***Dolorem*** ζζ; ***tumorem*** ϑ. — 976 ***Sola fabae sit iuncta*** κ. Hunc versum omitt. δ. — 977 ***Ille*** η. — 978 ***Cedat*** β. — 980 ***Trita*** α, αα, ββ, γγ. — 981 ***Lux dat*** αα, ββ. — 983 ***Surgat pulvinari*** η.

Xenocrates scripsit totidem cessare diebus
Menstrua quot mulier Coriandri grana vorabit.
Assiduum quidam condemnant illius usum,
Nempe putant mortem quemvisve parare dolorem.

## XXX. NASTURTIUM.

Dicunt ferventes quod habent Nasturtia vires
Et siccas; hac re venerem ceu ruta coërcent,
Siccando semen, fuerint si sumpta frequenter.
Fermento commixta recens haec herba terendo
Anthracas curat (bona quae plebs ulcera dicit)
Si superaddatur; curaque furunculus ista
Emittit saniem cum qua dolor ille recedit.
Illius succus crines retinere fluentes
Illitus asseritur, dentisque levare dolorem
De qua parte dolens dens est infusus in aurem.
Fortius est herba semen: depellit abortum
Haustum cum vino, ventrisque animalia pellit
Et sic serpentis dicunt obstare venenis;
Solus odor positi carbonibus effugat illas.
Splen reprimit, mixto si saepe bibatur aceto,
Herbam vel semen cum polline iunge et aceto,
Haec contrita simul sciasis superadde dolori,
Utile non modicum confirmant hoc medicamen.
Lichenas succus purgat cum melle perunctus;

---

984 *Senocrates αα, ββ, λ; Scenocr. η. Ut Socrates ϑ. Dixit totidem ϰ.* Hunc versum et sequentem omitt. *α.* — 985 *Voraret δ, η, ϑ.* — 986 *Condempnunt ϰ.* — 987 *Inferre dolorem π. Namque put. mort. magnumve par. dol. η, ϰ.* — 989 *Acrem venerem π. Cum ruta αα, ββ, γγ. Cohercet αα, ββ, γγ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ.* — 990 *Fuerit αα, ββ, γγ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; coërcent, fuerint* postulat sensus, hab. G, *ϰϰ.* — 992 *Bona quos ϑ.* — 993 *Illa α.* — 994 *Ipse α, γ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; iste δ.* — 995 *Illius et succ. αα, ββ, γγ.* Cfr. Regim. Salern. v. 215. — 996 *Dentemque levare videtur γ; dentisque l. dolores λ.* — 997 *Est dens γγ.* — 998 *Hac herba π; est herbae β, ϰ, λ.* — 999 *Ventris animalia δ, ϰ; ventrisque animalia curat η; animantia pell. ηη, ϑϑ.* — 1000 *Sic et serp. dic. assare δ; sicque s. d. obstare μ; et sic serpentes π, et sic serpentum γ, η, ϑ, ϰ.* — 1001 *Positis αα, ββ, γγ,* G. *Illos ϰ, λ, ηη, ϑϑ, ϰϰ; ipsos η, ϑ.* — 1002 Splen sc. tumidum. Hunc versum post 1004 hab. *λ.* — 1003 Polline i. e. farina. — 1004 *Schiasis δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ;* cfr. v. 39. — 1005 *Confirmat αα, ββ.* — 1006 *Curat cum melle γ, λ; purgabit melle δδ, εε, ηη, ϑϑ.*

Si prurigo caput aut ulcera turpia foedant,
Anseris admiscens adipi nasturtia trita
Saepius unge caput, vitium pelletur utrumque.
Si coquis hanc herbam caprae cum lacte recenti
Illius aut semen, dolor angat pectora quisquis,
Assumpto tepido potu sedabitur isto.
Semen cum tepida contritum pondere dragmae
Et bibitum, dicunt quod duram molliat alvum;
Tussim compescit semen cum melle voratum.

## XXXI. ERUCA.

Erucam calidam dicunt mediocriter esse,
Siccam non adeo. Cibus eius digerit escas
Et valet urinas haec mansa vel hausta movere.
Manditur utiliter pueris, tussimque repellit,
Emundare cutem maculis cum melle iugatam
Tradunt et mundos lentigine reddere vultus.
Elixata prius radix valideque subacta
Ossibus et fractis superaddita detrahit illa.
Cum vino tritum si semen sumitur eius
Quosvis pestiferos ictus curare refertur.
Haec nigras maculas purgat cum felle bovino
Illita. Mira loquar, cum vino largius haustam
Indurare ferunt hanc contra verbera sensum.
Si condituris coquus hanc admisceat herbam

---

1007 *Porrigo* μ, ζζ; rel. codd. et edd. et G. habent *prurigo.* — 1008 *Admisces* μ. — 1009 *Utrunque* δδ, εε. — 1010 *Cum caprae* γ, λ. *Lacte tepenti* η. — 1011 *Angit* π, δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ. — 1012 *Sedab. illo* α. — 1013 *Semen citrinum (cicerinum?) tepida cum pond.* β. — 1014 *Duram quod* ηη, ϑϑ; *duram dicunt quod* ϑ; *quod duram molliet* β. — 1017 *Digerit escam* δ, η, ϑ, λ, δδ, εε, ηη, ϑϑ. Post hunc versum addunt δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ: *Tertius erucae fertur gradus esse caloris.* — 1019 *Pulvis tussim cito pellit* ϑ; *nocuam tussimque rep.* κ. — 1020 *Et mundare* ϑ, κκ; *emendare* αα, ββ, γγ. — 1021 *Tradunt et* α, β, δ, η, ϑ, κ, λ, μ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; *dicunt et* αα, ββ, γγ, G. — 1022 *Valdeque* κ, G. — 1023 *Ossib. infractis* ϑ. *Reiicit illa* η, δδ, εε, ηη, ϑϑ. Radix decocta, trita et ossib. fractis superaddita detrahit illorum ossium fragmenta. — 1025 *Curare videtur* κ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 1026 *Hoc magis* αα, ββ; *hoc nigras* γγ; *haec nigr.* omn. rel. edd. et codd. et G. *Curat cum* δ; *pellit cum* κκ. — 1027 *Loquor* ϑ, κ. *Hausta* μ. — 1028 *Solet haec contra* μ. *Sensus* δ. — 1029 *Condimentis* δ, κ, λ, π, G, γγ, κκ; *conditoris* αα, ββ; *condituris* rel. edd. et α, β, γ, η, ϑ, μ. *Cocus* β, κ, λ, π.

Aut semen, gratum dicunt praestare saporem,
Euzomonque solent hac causa dicere Graeci
Erucam, succus quod gustu sit bonus eius.
Non modice mansam venerem stimulare vel haustam
Confirmant pariter medici pluresque poëtae.
Est cum lactucis haec herba comesta salubris,
Nanque calor dat temperiem cum frigore mixtus.

## XXXII. PAPAVER.

Dicunt vim gelidam siccamque Papaveris esse,
Tres illi tribuunt species: flos unius albus,
Alterius roseus, rubeus pallensque minoris
Flos est, hanc vulgo dicunt agreste Papaver.
Cunctis nobilior est cui flos nascitur albus;
Ex huius teneris opium faciunt capitellis,
Incisa leviter summa cute, lacque quod inde
Defluit, excipiunt cochleis, siccumque reservant,
Antidotis multis aptum variisque medelis.
Sunt, qui contundunt cum lacte suo capitella,
De quibus expressum siccant in sole liquorem;
Post primum succus vires habet iste secundas.
De specie vero, roseos quam gignere flores
Dixi, conficiunt oleum de semine tunso

---

1030 *Dicunt gratum* π. *Parare saporem* η. — 1031 *Euthimumque* α, κ; *eusimumque* β; *euzomumque* γ; *euchimumque* δ; *eurimumque* η; *euchimamque* ϑ; *eutimumque* λ, π; *euximumque* μ; *euchiniumque* αα, ββ; *euchinumque* γγ; *euzomomque* κκ; *euzomonque* edd. rel.; G. habet: „euchimumque i. e. quia succus eius sit bonus"; εὔζωμον Diosc. — 1032 *Quod sit gustu* δ, ϑ, π; *gustu quod succus* η. *Sit levis eius* α. — 1033 *Modicum* α, ϑ. *Stimulare videtur* β. — 1034 *Med. par. plur.* edd. et aliquot codd.; *par. med. plur.* β, γ, η, κ, μ, π. — 1035 *Haec c. lact. est herba* γ, δ. — 1036 Quia eruca calidae, lactuca frigidae complexionis habentur. In codice κ leguntur post v. 1036 adhuc versus octo ex capite de nepeta, 618—625: *Hocque modo veterem — potata frequenter.* — 1037 *Calidam siccamque* π. — 1038 *Spec. illi trib.* η, ϑ; *illi spec. trib.* λ. *Illius albus* π. — 1039 Hunc versum et duos proxime sequentes omitt. α. *Alter. rub. ros.* π. *Rubens pallensque* β, η; *pallensque rubensque* ζζ. — 1040 *Hanc dic. agr. vulgo* αα, ββ. — 1041 *Nobil. cunct.* γ, λ, π. *Innascitur* μ, δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ. *Cunct. nob. flos est qui innascitur albus* ζζ. — 1042 *Ex eius ten.* β, γ, η, ϑ; *ex uvis ten.* μ. *Faciunt opium* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 1043 *Leniter* β. — 1044 *Accipiunt* αα, ββ, γγ, δδ, εε, ηη, ϑϑ; *excipiunt* γ, η, κ, λ, μ, π, ζζ. *Succumque* β, γ, δ, λ, π, ηη, ϑϑ. — 1045 *Variisque querelis* α, ϑ. — 1046 *Conscindunt* G. — 1048 *Habet inde* αα, ββ, γγ. — 1050 *Tuso* η; *tonso* αα, ββ, δδ, εε.

Non modicum gustu iocundum somniferumque.
Tertia, cui flos est rubeus semenque nigellum,
Praestat, si bibitur, reliquarum more soporem.
Elixatura tepida cuiuslibet harum
Aeger si foveat faciem, vel si bibat illam,
Optatum capiet, nisi sit mors proxima, somnum.
Sperma nigri bibitum cum vino stringere ventrem
Dicitur, hocque modo fluxus inhibet muliebres;
Somnum dat bibitum, tussim compescit iniquam.
Pondere denarii debent haec semina sumi,
Nam plus letargum vel mortem saepius infert.
De foliis eius tritis factum cataplasma
Eximie fauces dicunt curare tumentes,
Quosque vocant sacros extinguere dicitur ignes;
Frigore vel cantu, potuve, cibove, vel aestu
Aspera si fuerit vocalis reddita vena,
Apposito tali fiet medicamine lenis.
Candida Meconii species (sic nempe vocari
Graecorum lingua dicunt quodcunque Papaver)
Longe nobilior est utiliorque duabus;
Tunc cum lacte fluunt capitella Papaveris huius
Lecta coquantur aqua, cui sit pars tertia mellis
Addita, cuncta coquas, donec decoctio spissa
Sit quasi mel, varios sic conservetur ad usus:
Sumpta facit somnum, tussim fugat, abstinet alvum,
Vocalis venae bene rheumatismata siccat.
Eius de teneris opium factum capitellis,
Sicut iam docui, roseo miscebis olivo,
Unge caput mixtis, sedabitur his dolor omnis

---

1052 *Flos ipse rubens* ζζ. — 1053 *Praebet si* λ. — 1055 *Bibit* α, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 1056 *Nisi mors sit* β, γ, η, ϑ et eaedem edd. — 1058 *Fluxus cohibet* π. *Modo menses retinere valebit* ηη, ϑϑ. — 1060 *Omnia sumi* η. — 1063 *Dicunt fauces* η, ϑ. — 1064 *Quos vocant* αα, ββ, γγ. — 1065 *Ciboque* ϑ. — 1068 *Miconii* β, δ, η, ϑ, π, κκ; *miconi* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Sic namque* β, γ, λ; *sic saepe* κ. — 1071 *Cum de lacte fluant* η. — 1072 *Lenta* κ. Lecta i. e. munda G. *Pars sit tertia* δ, η; *pars addita mellis* λ. — 1073 *Tertia cuncta* λ. *Coquis* δδ, εε, ζζ, ηη, G; *coques* β; *coquas* α, γ, δ, η, ϑ, κ, λ, μ, π, γγ, κκ. — 1074 *In usus* λ. — 1075 *Obstinet* ββ. — 1076 *Reumat. sedat* η; *reum. curat* ϑ. — 1077 *Eiusdem ten.* α, δ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 1079 *Hinc dolor* δ.

Et solet hoc unguen somni praestare quietem.
Praedictis admisce croci redolentia fila,
Auris curabis haec infundendo dolorem;
Hoc quoque femineo cum lacte crocoque subacto
Ungendo calidam poteris sedare podagram;
Ano suppositum solet hoc adducere somnum,
Istud idem solo praestare putatur odore.

## XXXIII. CEPA.

De Cepis medici non consentire videntur:
Namque Dioscorides inflare caputque gravare
Atque sitim Cepas dicit succendere mansas,
Fellitis non esse bonas inquit Galienus,
Flegmaticis vero multum putat esse salubres;
Non modicum sanas Asclepius asserit illas
Praesertim stomacho, pulchrumque creare colorem
Affirmat, quoties aliquis conspexerit illas;
Et dicit: quisquis ieiunia solverit illis
Unaquaque die, quod vivet hic absque dolore.
Affirmant omnes mansas inferre soporem,
Et dicunt illas mollire salubriter alvum;
Appositas perhibent morsus curare caninos,
Si tritae cum melle prius fuerint vel aceto;
Apponunt alii cum vino melleque coctas,
Transactisque tribus solvunt cataplasma diebus.
Sal, rutam Cepasque Dioscorides iubet anguis

---

1080 *Somni parare* η; *somnum parare* β, λ; *somno praestare* ϑ. — 1081 *Miscendo croci* η, ϑ. — 1086 *Illud idem* ζζ, ηη, ϑϑ. *Videtur odore* ϑ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 1087 Hunc versum et quinque alios huius capitis, scil. v. 1090, 1091, 1093, 1120, 1121, habet Regim. Salern. v. 190 sq. — 1089 *Cepis dixit succ. mansis* η, ϑ; *cepas dixit* γ, δ, ϑ, κ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 1090 Fellitis i. e. cholericis. *Dixit Galienus* η, ϑ; *dicit Galien.* δ, λ, κκ; *ait ipse Galenus* δδ, εε, ζζ. Vide Galen. alim. facult. l. 2. cap. 71, ed. Kühn, tom. 6. pag. 659. — 1092 Plinius (hist. nat. XX. 5.) haec habet de cepis: „Asclepiadis schola ad colorem quoque validum profici hoc cibo, et si ieiuni quotidie edant firmitatem valetudinis custodiri, stomacho utilia esse etc". — 1093 *Gratumque creare calorem* μ. — 1094 *Affirmant* δ, ϑ. *Aspexerit illas* η; *gustaverit illas* κ. — 1095 *Dicunt* ϑ, κ. *Istis* δ, κκ. — 1096 *Die bis quod vivet absque* κ. *Vivat hic* β, δ, η, ϑ, μ, κκ. — 1097 *Afferre saporem* η; *inf. sopores* κκ. — 1100 *Et aceto* ϑ. — 1101 *Melleque tritas* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 1103 *Sal tritum cepasque* γ, λ, π, δδ, εε, ηη, ϑϑ.

Morsibus apponi, sic asserit ille iuvari.
Femineo lacti commixtus succus earum
Pellit saepe graves infusus ab aure dolores;
Hic succus commixtus aquae bibitusque iuvabit
Illos, quos subitus facit obmutescere morbus.
Naribus attractus harum tantummodo succus
Humores nocuos capitis deponere cogit;
Mansae vel potae tardantia menstrua purgant.
Triturasque pedum, soleae quas vel caligarum
Duriciae faciunt, succo sanabis eodem,
Cum gallinarum pingui si saepe perungas.
Mane sibi dentes qui succo perfricat isto,
Dicunt hunc dentis nunquam sentire dolorem;
Ulcera compescunt oris cum pane comestae,
Intingens oleo coctas qui sumpserit illas,
Sedat quos intus dat dysenteria morsus.
Contritis Cepis loca denudata capillis
Saepe fricans capitis poteris reparare decorem;
Oris foetori prosunt, fastidia tollunt,
Hasque iubent haemorrhoidis superaddere tritas.
Illarum succus caligine lumina purgat
Admixtus melli, maculas quoque iunctus aceto
Emundare solet, si sint hoc saepe fricatae.

## XXXIV. BUGLOSSA.

Lingua bovis graeco sermone Buglossa vocatur,
Haec choleram rubeam nimio fervore perustam
Purgat, cum vino fuerit si sumpta frequenter;

---

1106 *In aure* ϰ, λ, π; *grav. natos in aure* μ. — 1108 Cfr. Plin. XX. 5. — 1110 *Capitis noc. depellere* η, λ; *noc. cap. depell.* ϑ. — 1111 Hunc versum inter 1108 et 1109 ponit α; loco omnino magis congruo, si ad Diosc. II. 180. spectas. — 1113 *Sanabis earum* α, β, δ, γ (in marg.); *sanabit earum* ϰ; *curabis eodem* η, ϑ. — 1115 *Succo qui* α, β. — 1117 *Comesto* ϰ. — 1118 *Intinctas oleo* λ; *intinguens* π. *Qui coctas* ϑ. — 1119 *Sedant* ϑ. *Dysent. morbos* α, ηη, ϑϑ. — 1120 *Cum tritis* δ. — 1121 *Repar. colorem* α, ϑ; *repar. dolorem* δ, η, αα, ββ, γγ. *Saepe fricans poteris vulsos reparare capillos* G. — 1123 *Iubet Dioscorides superaddere* λ. — 1126 *Emendare* edd.; *emundare* α, η, λ, μ, π, G. *Si sunt hoc* ϰ. — 1127 *Graio* ηη, ϑϑ, ϰϰ. — 1128 *Nimio rubeam* η.

Cardiacum, cholerae quem fecit copia nigrae,
Consimili potata modo curare valebit;
Humores nocuos pulmonis detrahit hausta.
Mixtus aquae tepidae si succus sumitur eius,
Illi, qui patitur sciasim, mire medicatur.
Vim memorem cerebri dicunt servare periti
Vinum potatum, quo sit macerata Buglossa.
Laetos convivas decoctio dicitur eius
Reddere, si fuerit inter convivia sparsa.

## XXXV. SINAPI.

Inter eas, quas Pythagoras laudaverat herbas,
Asseritur primam laudem tribuisse Sinapi;
Quartus ei gradus est in vi sicca calidaque.
Extrahit humores viscosos extenuatque,
Comburitque cutem, vis est sibi tanta caloris,
Maior vis eius in semine dicitur esse.
Sensus exacuit cibus eius, commovet alvum,
Confringit lapides, urinam et menstrua purgat.
Si tritum iungas tepidae versesque palato
Ad solem capitis purgabit flegma nocivum.
Sternutamentis hoc admiscere salubre est,
Illo nam capitis strictura resolvitur omnis.
Mansum confortat stomachum, suspiria sedat;
Morsus serpentum, tritum si mergis aceto

---

1130 *Cardiacam col. quam facit αα, ββ; cardiacam c. quam fecit γγ.* „Cardiaca i. e. morbus cardiacus seu tremor cordis" G. Plurimi vero et optimi codd. habent *cardiacum c. quem. Valebis δ, η, δδ, εε, ηη, ϑϑ.* — 1132 *Pulmonum β, γ, ϑ, μ. Nocuos cum vino detr. η. Detrahet κ.* — 1133 *Succus si α, β, η, ϑ, κ, μ. Aquae frigidae succus si γ.* — 1134 *Qui sciasim pat. γ, η, ϑ; qui ischiadem pat. ζζ;* cfr. v. 39. — 1137 *Lentos αα, ββ.* Cfr. v. 1880 et duos antecedentes. — 1139 *Pitagor., Pictag.*, etc. codd. — 1140 *Tenuisse sinapi α.* — 1141 *Gradus cum vi κ; grad. est cum vi η.* — 1142 *Attenuatque η, ϑ.* — 1143 *Comburit α, ηη, ϑϑ. Vis est huic tanta γγ; vis illi est tanta δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; vis est sibi tota β;* reliqui codd. hab. nostram lectionem, latinitati mediae aetatis apprime congruam. — 1147 *Tritam δδ, εε, ηη, ϑϑ.* — 1148 *Purgabis η, ϑ,* G. — 1149 *Immiscere η.* — 1150 *Isto ηη, ϑϑ.* — 1151 *Suspiria curat λ.* — 1152 *Morsus serpentis α; morsum serpentis δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. Tritum si iungas aceto α; trito si iungis aceto δ, κ; si trito iungis acetum η, ϑ; trito si iungis acetum β, γ, λ, μ, π; trito si iungas acetum δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; tritum si iungis acetum κκ; si trito mergis aceto αα, ββ, γγ;* nostram lectionem secutus est G.

Et superapponis, tali medicamine curas;
Mansum pestiferos vetat intima laedere fungos.
Vi nimium fervente cutem comburere dixi,
Sed tamen haec multis est utilis ustio causis:
Hac oculis nocuus capitis siccabitur humor,
Et qui destillans pulmonum concava laedit,
Et stomachi morbosque creat, tussimque phthisimque;
Hac per vesicas coxae dolor inveteratus
Elicitur, sciasim quod graeco nomine dicunt;
Hacque tumor splenis durus iecorisque fugatur
Et multum causis haec subvenit inveteratis.
Utile tot causis quoniam cataplasma Sinapis
Saepius a medicis variatur conficiendo,
Dicam qualiter hoc fieri iubeat Menemachus:
In mortariolo tritum bene pone Sinapis
Semen, iungatur huic panis candida mica,
Sic ut tertia sit panis pars iuncta Sinapi,
His ficus siccas et mel iungas et acetum,
Aetatis quantum vel morbi causa requirit,
Nam quo plus ficus siccae vel mellis habebit,
Ille sinapismus tanto solet acrior esse,
Debilior, quo plus panis mittes et aceti.
Ne tibi sit vilis, moneo, confectio talis,
Effectum cuius in multis saepe probavi;
Non tamen hanc iubeo cunctis apponere morbis,

---

1153 *Atque superponas γγ; et superapponas α, γ, δ, η, ϑ, μ, δδ, εε, ζζ, κκ; si superapponas κ. Curas medicamine tali γ, λ.* — 1154 *Vetat intus δδ, εε, ηη, ϑϑ.* — 1156 *Est multis haec α, ϑ; tam. mult. haec β.* — 1157 *Cap. sedabitur γ, ϑ; purgabitur η.* — 1159 *Morbos pellit β; morbos curat κ, π, κκ; morbosque necat λ; morbosque curat ηη, ϑϑ. Ptisimque, tisimque* codd. — 1160 *Ac per μ, κκ.* — 1161 *Ischias elicitur sic graeco nomine dictus ζζ;* cfr. v. 39. *Quem gr. β, γ, η, κ, π, κκ; quam δ, ϑ, λ.* — 1163 *Multis causis β, η, κ, λ.* — 1164 *Sinapi αα, ββ.* — 1166 *Hoc. dic. qual. δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; qual. h. f. iub. dic. κκ; iub. fieri η, ϑ. Meneniacus αα, ββ, G; Meniacus γγ, δδ, εε, ηη, ϑϑ; Menemacchus ζζ; Menemacus γ, π, κκ; Menemachus α, δ, η, ϑ, κ, λ, μ; Menemathus β.* — 1167 *Bene trit. pone η.* — 1168 *Panis huic δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ.* — 1169 *Tertia pars sit panis δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; tert. pars pan. sit δ, η, κκ; sit pars panis α.* — 1171 *Morbi cura π. Requiret μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. Morbi vel causa requiret α.* — 1172 *Nam quanto π. Habebis η.* — 1173 *Illa sinapi vis αα, ββ; illa sinapis vis π;* nostram lectionem hab. rel. codd. et G. — 1174 *Misces et η, π; micas et ηη, ϑϑ.* — 1175 *Nec tibi δ, λ, ζζ, κκ.* — 1177 *Nec tamen α, κκ. Multis app. causis η.*

Sed raro, magnis et causis inveteratis.
Plinius in musto cum semine praecipit huius
Radices mergi, sic, postquam sumpserit harum
Omnem vim, vinum multum putat esse salubre
Faucibus et stomacho potatum, luminibusque,
Pluribus et capitis dicit prodesse querelis.
Infuso faciunt oleum de semine quidam,
Utile lumborum vitiis, stupidis quoque nervis.
Exprimitur succus tenero de caule Sinapis,
Quem siccum mandens dentis tormenta fugabis.
Vocales venas semen lenire Sinapis
Mansum confirmant: adipi tundendo vetusto
Commixtum scrophas disperget, si superaddas;
Illius fumus multum prodesse caducis
Dicitur atque sterae causas siccando iuvare.
Cum ficu tritum capiti superaddere raso
His qui letargum patiuntur, magna medela est,
Vel si saepe pedes ungendo fricabis eorum.
Semen contritum melli coniunge vel uncto
Istud alopeciis iuvat unguen saepe fricando;
Acri cum vino lepras emundat inunctum.
Hoc quoque curatur manso periodica febris,
Antea quam diri veniat commotio morbi.

## XXXVI. CAULIS.

Caulis romana, Graecorum Brassica lingua
Dicitur; hic quamvis passim nascatur in hortis,

---

1178 *Raro magis* β. — 1179 *In vino cum* η. *Praec. eius* η. — 1180 *Rad. iungi* γ, λ. *Ceperit harum* γ; *senserit* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *suxerit* μ. *Horum* et *harum* habent codd. et edd. *Sumpserit omnem* δ, κκ. — 1181 *Harum vim* δ, κκ. — 1183 *Dicunt* α, γ, δ, η, δδ, εε, ηη, ϑϑ. — 1184 *Oleo de semine* η. *Quidem* αα, ββ. — 1185 *Membror.* ϑ. — 1187 *Quod siccum* αα, ββ, γγ; *quem succum* β, η, ζζ; *quem mandens siccum* κκ. Hunc versum et sequentem omitt. π. — 1189 *Adipi miscendo* η; *adipique terendo* ϑ. Hunc vers. omitt. γ. — 1190 *Dispergit* β, γ, κ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *dispergis* κκ. *Superaddes* ββ. — 1191 *Illius succus* γ. — 1192 *Atque uteri* ζζ; cfr. v. 13. — 1193 *Fico* ϑ. — 1195 *Eodem* λ. — 1196 *Melli iungas vel aceto* ϑ. Unctum i. q. axungia. — 1197 *Istud* β, γ, η, κ, λ, μ, π. *Alopicias*, *alopitias* var. codd. — 1198 *Emendat* α. *Inunctas* η, λ. Inter hunc et sequentem versum habet κ: *Per triduum manso curabitur hoc quoque febris.* — 1200 *Diri fiat* β, γ, ϑ; *dixi fiat* λ. Sumatur sinapi ante paroxysmum. — 1202 *Is quamvis* λ, π, δδ, εε, ηη, ϑϑ; *haec qu.* α, η, ζζ. *In ortis* plur. codd.

Est tamen illius ad multa salutifer usus:
Annis sexcentis usos medicamine Caulis
Romanos Cato testatur, medicina priusquam
A medicis Romae descripta fuisset in usu,
Tunc hortus escas illis dabat et medicinas.
Vulnera non tantum curare recentia Caulem
Ipsemet affirmat, sed quamvis inveterata,
Et cancros etiam; loca sed prius amne lavari
Praecipit, aut vino tepido, sic denique crudum
Unaquaque die bis tritum apponere Caulem.
Hordea quam dederint Cauli miscere farinam
Idem praecepit, rutam quoque cum coriandro
Et sale permodico, sic omnia mixta terendo
Apponi dirae docuit cataplasma podagrae.
Hoc etiam morbis medicabitur articulorum,
Hoc quoque syringas ait et luxata iuvare,
Atque superpositum varios sedare tumores.
Illius urinam, fuerit qui Caulibus usus,
Causis nervorum calefactam censuit aptam;
Hac ex urina pueri si saepe laventur,
Asserit illorum multum conferre saluti.
Haec Caulis de laude Cato. Scripsisse libellum
Chrisippum dicunt huius de viribus herbae.
Omnes confirmant caligine lumina tergi,
Eius, qui viridi vescetur Caule frequenter.
Auget lac mammis cibus eius, menstrua purgat,
Atque iuvat stomachum sumptas ut concoquat escas;

---

1204 *Ducentis* ϑ. — 1205 *Catho* var. codd. et edd. — 1206 *In usum* αα, ββ, γγ; *in usus* α. — 1207 *Hortus* (*ortus*) *tunc* α, η, ϑ, λ, μ, π; *tunc ill. ort. esc.* γ; *tunc esc. ort. dab. ill. et* κ. *Dabat atque medelas* α, β, η, λ, μ, π; *dedit atque medelas* ϑ. — 1208 *Non solum* λ. — 1209 *Affirm. auctor sed invet.* αα, ββ, γγ; codd. habent nostr. lect. — 1210 *Cancrosa loca etiam prius* η. — 1213 *Ordea* plur. codd. et edd. *Dederant* ϑ. — 1214 *Tritam quoque* κ, π, δδ, εε; *tritum* ηη, ϑϑ. — 1216 *Dirae dicunt* η. — 1217 *Morbo* ζζ. — 1218 *Ait elixata* γ, δ. — 1219 *Fugare tum.* α; *curare tum.* λ; *sedare dolores* γ, δ. — 1222 *Lavantur* δ. — 1224 *Hoc de caule catho quendam scrips.* αα, ββ, γγ; *haec de caule cato qu. scrips.* π; *haec narrat de caule cato scrips.* δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ; *haec de caule cato quondam scrips.* ζζ; *hunc de caulis laude cato scrips.* κ; nostr. lect. hab. α, β, γ, δ, λ, μ. — 1225 *Crisipp.*, plur. codd.; *Crispinum* β. *Dicit huius* α, η, ϑ, κ. — 1227 *Vescatur* ηη, ϑϑ. — 1229 *Decoquat* α, η; *excoquat* π. *Ut sumptas decoquat* ϑ; *sumptas sic ut coquat* κ.

Si multum coquitur, restringere dicitur alvum,
At semicrudus solet illam solvere sumptus.
Assumptus crudus, sic ut tingatur aceto,
Splen reprimit tumidum; semen depellit abortum.
Uncto cum veteri coctos bene contere Caules,
His oleum roseum quantum res postulat addas,
Ardores nimios iuvat haec confectio febris,
Si superaddatur stomacho membrove calenti.
Acri non scissum si iungis alumen aceto
Et Caules, sic ut corpus redigantur in unum,
Cuncta terendo diu potes his compescere lepras,
Et plures alias maculas his saepe perungens,
His etiam crines poteris retinere fluentes.
Dicitur et testes istud curare tumentes
Et varios morbos, genitalia quos patiuntur,
Et melius si praedictis faba cocta iugatur.
Cum fenugraeco si tundas hunc et aceto,
Et super arteticos apponas ista dolores,
Multum subvenies illis, vitiisque podagrae
Non modicum poterit istud cataplasma mederi.
Uncto cum veteri Caulis cineres bene triti
Prosunt ad veteres lateris coxaeque dolores,
Sit licet haec vilis, tamen est medicina salubris.
Si Caulis semen mixto potatur aceto
Pellere saepe solet animalia noxia ventris.
Fit cinis ex siccis Caulis radicibus ustis,
Subditus hic uvam relevat siccando iacentem.
Dentibus attriti succum glutire virentis

---

1230 Hunc et sequentem versum habet post 1233 cod. π. — 1231 *Aut* αα, ββ; *at semen crudum s. ill. s. sumptum* μ. — 1232 *Ac sumptus* δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ. *Ut iungatur* δ, κ, λ, π, ζζ; *si contingatur* β. — 1234 Unctum i. e. axungia. *Vino cum* κ, ηη, ϑϑ, κκ. — 1235 *Addes* κκ. — 1237 *Supponatur* δ, γγ, κκ. *Membroque* η, ϑ, κ, π. — 1238 *Mergis* αα, ββ, γγ, G. — 1240 *Potes hoc* δδ, εε, ηη, ϑϑ. *Lepram* α, δ, η, ζζ. — 1242 *Poteris crin. retin.* δ, η, ϑ. — 1243 *Illud cur.* β, δ, η, ϑ, λ. — 1244 *Et morbos varios* α, δ. — 1246 *Foenograeco* ζζ. *Tundis* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *iungas* κ, λ, π; *iungis* η. Hunc versum omitt. α. — 1247 *Arthreticos* δδ, εε; *et super articulorum apponas* ζζ. — 1248 *Subveniet* edd. — 1249 *Non multum* α. — 1250 *Vino cum* κ, ηη, ϑϑ, κκ. — 1252 Post hunc versum addit β: *Multum subveniet his talibus impedimentis.* — 1253 *Potetur* β, γ, ϑ, κ. — 1255 *Caulis siccis* ϑ. — 1256 *Subditur* δ. — 1257 Attriti scil. caulis virentis.

Affirmant raucae multum succurrere voci;
Naribus infusus succus purgat caput eius.
Qui prius est Caules vix sentiet ebrietatem.
Evulsam Caulis radicem, postea terram
Quae non attigerit, collo Melicius inquit
Suspensam cunctos uvae depellere morbos.

## XXXVII. PASTINACA.

Est Pastinacae virtus in semine tantum
Et radice sua; mulsa si decoquis eius
Radices, multum decoctio proderit eius,
Si potanda datur, splenis iecorisque querelis,
Lumborumque levat eadem potata dolorem.
Hanc si lacte coquas, decoctio sumpta iuvabit
Asthmaticos quamvis veteres ventresque fluentes.
Radix illius collo suspensa tumores,
Ut quidam dicunt, compescit testiculorum;
Qui Pastinacam fert aut qui mandidit illam,
Dicitur a nullo serpentum posse noceri.
Accendit venerem si large sumitur illa.
Si circumscalpis dentes radicibus eius,
Dicunt ingenti persaepe dolore levari,
Ex vino Pastinacae si sperma bibatur,
Compescit diros, quos scorpius intulit, ictus.
Sic quoque feminei ventris curare tumorem
Dicunt, quo mulier quasi praegnans esse videtur.

---

1260 *Caulem* α, κ, λ, π. — 1261 *Postea tritam* αα, ββ, γγ; *prius ea terram* γ. Radicem caulis innuit auctor, quae post avulsionem terram non attigerit. — 1262 *Mellentius* β; *Mellicius* γ, μ; *Mellitius* ζζ; *Melitius* λ; *Melecius* η; *Melinius* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *Mellinus* αα, ββ; *Medicius* κ; *Milesius* ϑ. Plinius Valerianus IV. 29 habet *Melius* et *Meliteus*; nostram lectionem habent δ, π, γγ, κκ. — 1263 *Cunctos uvae* γ, δ, η, ϑ, κ, λ, μ, π; *varios mire* ζζ; *varios uvae* rel. edd. Hunc versum cum duobus antecedentibus omitt. α. — 1264 *Tanta* ηη, ϑϑ, κκ. — 1265 *Radice simul* ζζ. — 1268 *Iuvat eadem* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 1273 *Manderit* η, ϑ, λ, ζζ, κκ. — 1274 *Serpente* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *huic nullum serpentem posse nocere* κκ. — 1276 *Si circumscalpes* κκ. — 1277 *Dicunt a grandi* ζζ. *Iuvari* δδ, εε, ηη, ϑϑ. *Ingentem persaepe levare dolorem* η, ϑ. — 1278 *Spina bibatur* β; *saepe bib.* αα, ββ. — 1279 *Dirus quos* μ. *Scorpion* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 1281 *Quod mulier* μ, δδ, εε, ηη, ϑϑ.

Appositum cancris tritum cum melle medetur.
Quod pastum tribuat est Pastinaca vocata,
Namque cibum nullae radices dant meliorem.

## XXXVIII. ORIGANUM.

Origani vires calidae siccaeque leguntur,
Tertius huic in utroque gradus conceditur esse.
Illius in vino curat decoctio sumpta
Quosvis pestiferos morsus, si saepe bibatur;
Cum mulsa sumptum prodest aconita bibenti,
Sic multis aliis dicunt obstare venenis.
Conquassata iuvat mansum vel saepius haustum,
Hydropicos reprimit bibitum siccatque tumores.
Cum mulsa bibitum choleram deponere nigram
Dicunt, oxifali fuerit si pondere sumptum.
Menstrua reducet bibitum vel si superaddas
Tritum, vel cocta mulier si se fovet herba.
Illius pulvis tussim cum melle repellit;
Pruritus, achoras maculasque cutis fugat omnes,
In quo decoquitur si saepius amne laventur;
In lavacro iuvat ictericos haec coctio sumpta;
Succus praedictae viridis si sumitur herbae,
Uvas et fauces curat siccando tumentes;
Oris vulneribus medicabitur ore retentus;
Naribus infusus irino mixtus olivo
Invisum capiti coget manare cruorem;

---

1282 Hunc versum, qui iam Cerefol. 929 legitur, omitt. *αα, ββ, γγ. Cancris totum δδ, εε, ηη, ϑϑ; tritum cancris ϰϰ.* — 1284 Omitt. *αα, ββ, γγ.* — 1285 *Sicc. calid. γ, η, ϰ, λ, π.* — 1288 Hunc versum cum sequenti omitt. *λ.* — 1289 *Sumpta αα, ββ, γγ, δδ, εε, ηη, ϑϑ, ϰϰ. Mulsa bibitum ϰ.* — 1293 *Depellere δ, ϑ.* — 1294 *Dicitur ϑ, π. Oxyfalum π; oxifali η; oxifahum γ; oxifabi β, μ, δδ; oxifabe δ, ϑ; cotifabum λ; oxibaphi εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ.* Est nomen mensurae cuiusdam fluidorum, proprie acetabulum, ὀξυβάφιον seu ὀξύβαφον (Diosc. III. 29), quod latinitas medii aevi dicit oxifalum. *Dicunt hoc sirupi α. Pondere tritum ϰ, λ, π.* — 1295 *Deducet γγ; reducet αα, ββ,* G.; *deducit* habent rel. edd. et codd. *Deducit sumptum ϰ.* — 1296 *Mulier se foveat α; mul. si saepe fovetur η.* — 1298 *Pruritus et achoras et maculas fugat ζζ. Maculas acorasque η.* — 1299 *Lavatur ϑ; lavetur αα, ββ, γγ.* — 1300 *Ictericos decoctio γ, η.* — 1301 Omitt. *α.* — 1303 *Ore receptus β.* — 1304 *Laurino mixtus π.* — 1305 *Infusum capiti β, δδ, εε, ηη, ϑϑ; invis. capitis η, ϰ. Cogit η, λ.*

Auribus infusus sedat cum lacte dolorem;
Hic succus mixtus cepis et rhô syriaco
Ponitur ad solem tunc quando Sirius ardet,
Sicque quaterdenis fervebit in aere diebus,
Si supponatur lecto confectio talis,
Effugat (ut dicunt) animalia cuncta nociva.
His quibus ex aliquo vitio digestio tarda
Evenit, ex vino prodest si sumitur albo;
Cum calida morsus stomachi lenire probatum est.
Illius succos oleo mixtos et aceto
Succida lana bibat, et sic superaddita membris
Luxatis et contusis multum iuvat illa.
Provocat urinam, lumbricos proiicit haustum,
Dente diu tritum solet inde fugare dolorem.
Omnia potatus succus iuvat interiora;
Eius cum succo si carica trita bibatur,
Sudorem poris producere fertur apertis,
Appositus coxis succus cum polline farris
Harum saepe gravem pellit reprimitve dolorem.

## XXXIX. SERPILLUM.

Serpillum veteres dixerunt, quod quasi serpat
Terrae vicinum; huic fervida siccaque vis est.

---

1306 *Naribus infusus* β. *Dolores* κ. — 1307 *Rosyriaco* α, δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ; *rosiriaco* η; *rossiriaco* λ, μ, π; *rossyriaco* ϑ; *rorisiacon* γ; *ros siriacus* κ; *rhus syriacus* ζζ; *ros et syriaco* δ; *roseriaco* αα, ββ, γγ, G, qui in commentariis perperam exponit: „id est oleo rosaceo". Diosc. l. c. habet: καὶ ῥοὸς τοῦ ἐπὶ τὰ ὄψα, quem rhoëm non differre putant a rhoë Syriaco (Cels. VI. 11); hodie botanici hanc plantam nominant Rhus Coriaria. — 1308 *Quando saepius* β; *qu. fortius* κ; *tunc cum ferventius* ϑ. — 1311 *Nocua cuncta* γ. — 1313 *Sumitur alvo* ζζ. *Cum vino prodest, fertur, si sumitur albo* γ. — 1314 *Stomachi morsus* αα, ββ, γγ. *Linire* β. *Probatur* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 1315 *Vel aceto* ϑ. Hunc versum ante 1314 ponunt β, γ. — 1316 *Et si* γ; *et sit* η. — 1317 *Laxatis vel* ηη, ϑϑ; *duratis vel* γ; *luxatis vel* α, β, π, δδ, εε, ζζ. *Vel contritis* ϑ. *Valet illa* η. — 1318 *Urinas* ϑ. *Haustu* δδ, εε; *hausta* ηη, ϑϑ, κκ; *reiicit hausta* α, γ; *reiicit haustum* αα, ββ, γγ, ζζ; nostr. lect. hab. δ, η, ϑ. — 1319 *Diu tentum* αα, ββ, γγ, G; codd. et rel. edd. hab. nostr. lect. — 1321 *Caria tr. bibantur* β. — 1322 *Sudores* γ. — 1323 *Noxis succus* α. — 1324 *Reprimitque* δ, κ, λ; *reprimit pellitque* η, ϑ. — 1325 *Serpillium* in inscriptione αα, ββ; *serpyllum* ζζ. *Quasi serpit* β. — 1326 *Vicinans* ζζ. *Cui ferv.* γ.

Acri cum vino coctum contundis olivo,
Cui rosa dat nomen, hoc unguine perline frontem
Aegroti, capitis solet hoc sedare dolorem.
Nidor combusti serpentes effugat omnes
Et quodvis animal infundens ore venenum;
Hoc ideo miscere cibis messoribus est mos,
Ut si forte sopor fessos depresserit illos,
Vermibus a nocuis tuti requiescere possint;
Pestiferos morsus bibitum iuvat appositumque.
Provocat urinas, compescit tormina ventris,
Splen iuvat, admixto si saepe bibatur aceto;
Si mel praedictis iungatur, sputa cruenta
Iactantes mire potus solet ille iuvare;
Haustum cum vino iecoris sedare dolorem
Dicitur, hicque solet producere menstrua potus.

## XL. VIOLAE.

Nec roseus superare decor, nec lilia possunt
Fragrantes Violas specie, nec vi, nec odore.
Dicitur humida vis illis et frigida primo
Esse gradu; species tres esse leguntur earum,
Noscere quas tantum diverso flore valemus:
Nam sunt purpurei flores albique nigrique,
Cunctis pene pares sunt in medicamine vires.
Inflammata iuvant loca, tritas si superaddas;
Crapula discutitur bibitis, capitisque gravedo
Olfactu solo vel si caput inde coronas;
Anginis potae medicantur aqua resolutae.
Purpuream Violam dicunt curare caducos

---

1327 *Contundas ββ. Coctum si tundis η, ϑ; vino si tu contundis α*; *vino tritum si tundis γ*; *vino tritum contundis π.* Sensus est: si serpillum cum aceto coctum contundis cum oleo rosato. — 1328 *Perlue ηη, ϑϑ.* — 1329 *Capitisque solet sedare η*; *capitis sol. hoc lenire λ.* — 1331 *Profundens ζζ, κκ*; *effundens λ*; *aliud infundens γγ.* — 1332 *Cibo γ.* — 1334 *Tuto ηη, ϑϑ.* — 1335 *Bibitum morsus ϑ*; *morsus tritum η.* Hunc versum omitt. λ. — 1336 *Urinam γ, η, κκ.* — 1337 *Sumatur aceto ηη, ϑϑ.* — 1338 *Iungatur praedictis δ.* — 1339 *Iactantem δ, κκ. Solet iste αα, ββ, γγ.* — 1341 *Educere ϑ.* — 1342 *Non roseus ϑ. Superare color γ, λ, π.* — 1345 *Dicuntur earum β.* — 1349 *Tritae α, δ, δδ, εε, ηη, ϑϑ*; *trita μ.* — 1350 Cfr. Regim. Salern. v. 198. — 1351 *Corones α.* — 1352 *Gingivis potae ϑ, κκ.* — 1353 *Purpureas violas π.* Cfr. Reg. Salern. v. 199.

Praecipue pueros, si mixto sumitur amne.
Radices Violae cum mirrha tunde crocoque,
Hoc inflammatis oculis apponito nocte;
Contritis foliis Violae cum melle perungens
Ulcera sanabis capitis; si iungis acetum
Et cataplasma facis cedet collectio quaevis.
Illius curat elixatura tumorem
Matricis, tepida si saepe fovebitur illa;
Ani fissuras, quas appellant ragadias,
Addita cerotis medicatur saepe perunctas;
Pustula si fuerit, melli superadde iugatam,
Illius semen cum vino menstrua purgat,
Tritae commixto radices eius aceto
Splen siccant bibitae vel spleni si superaddas;
Hocque modo calidam dicunt sedare podagram.
A stomacho choleram rubeam potata repellit
Herba virens Violae vel flos siccusve recensve,
Morbos de cholera rubea vel sanguine factos,
Mollibus in costis aut in pulmonibus ipsis,
Sedat si mixto potabitur amne recenti;
Infantum tussim sic et suspiria sedat.
Ex Violis oleum sicut de flore rosarum
Conficiunt, multis quod dicunt utile causis,
Auribus infusum sonitum fugat atque dolorem,
Et capiti prodest, quocunque dolore laboret,
Leniter infrigidans corpusque sopore resolvens,
Lumbricos necat infusum bibitumve vel unctum,
Et capitis furfur oleo depellitur isto.

---

1354 *Mixto si sumitur* γ, λ, π. — 1356 *Ac infl.* ϑ. Hunc versum omitt. δ, ϰ. — 1357 *Violae foliis* β, λ. — 1358 *Ulc. curabis* λ, π. — 1359 Hunc versum et sequentem omitt. π. Collectio i. e. apostema G. — 1361 *Fovebitur herba* ϑ. — 1362 *Scissuras* β, γ, η, ϑ, λ, π, ϰϰ. — 1363 *Ceratis* δ, ηη, ϑϑ. *Medicantur* γ; *medicabitur* ϑ. *Perunctis* edd., *peruncta* ϑ; *perunctas* δ, η, μ, π. — 1364 *Iugata* ϰ et edd. — 1365 Omitt. α. — 1366 *Cum mixto* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *commixtae* β. — 1367 *Bibitae tepidae vel si sup.* ϑ. — 1369 *Rubeam coleram* γ, π. — 1370 *Succusve recentis* π. — 1372 *Coxis* λ. *Ac in pulm.* η. Molles costae sunt c. inferiores s. spuriae. — 1374 *Sicut* ββ. *Susp. curat* ϑ. — 1376 *Mult. sic* δ; *mult. quoque* η. — 1377 *Sonit. iuvat* δ. — 1378 *Calore laboret* η, λ, μ; *dol. laborat* α, ηη, ϑϑ. — 1379 *Leviter* αα, ββ, γγ. — 1380 *Bibitum vel inunctum* α, β, δ, ϰ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *bibitumque venenum* π.

Os capitis ictu fuerit si forte plicatum
In tantum, ut linguae patiens amiserit usum,
Fac prius hanc Violam cum vino sumere tritam,
Postea, si fuerit capitis pars dextera laesa,
Contritam plantae pedis hanc adnecte sinistri,
Atque e converso facias si laeva plicata est:
Os resilit, linguaeque die redit usus eadem,
Ut Iustus tradit medicus, qui talia scripsit.
Altera vis Violae fertur mirabilis esse:
Albae si Violae radix teneatur in ore
Et transglutitus sit succus saepius eius,
Vulneris immodicum tradunt mox sistere fluxum,
Hanc liquiritiae tradit vim Plinius esse.

## XLI. ARISTOLOCHIA.

Aristolochiae species tres dicimus esse,
Longa prior, radix est cuius longa, vocatur.
Dicta rotunda sequens, quod sit radice rotunda,
Tertia Clematis graeco sermone vocatur,
Viribus haec pene par dicitur esse rotundae.
Omnes vim calidam siccamque leguntur habere,
In primo vis sicca gradu fervensque secundo.
Pestiferos morsus cum vino sumpta ***rotunda***
Curat et assumptis prodest sic hausta venenis,
Hocque modo tardas educit sumpta secundas,

---

1382 *Ictu capitis* δ, λ; *cap. fuerit ictu* η, ϑ, ϰϰ. — 1383 *In* omitt. δ. — 1384 *Hunc* η, ϑ, ϰ, ζζ. — 1385 *Pars vero fuerit capitis si* ϑ; *pars maxima laesa* ϰ. — 1386 *Contr. parti pedis hunc* α; *contr. pl. pedis annecte* η; *hanc annecte* γ, δ, λ, μ, π; *hanc innecte* ϑ. *Sinistrae* β. — 1387 *Atque eadem dextrae facies si* β. *Est* omitt. δ. — 1388 *Eodem* δ. — 1389 *Providus ut tradit* η; *Hippocras ut trad.* ϑ; *Ut iustus tradat* αα, ββ, γγ; Gueroaldus annotat: „ut medicus nomine iustus tradit qui scripsit talia dogmata medicinalia". Forsan Iustus ille quem citat Marcell. Empir. cap. 25. — 1392 *Transglutitur si* η; *transglutitus succus sit* δ, ϰϰ; *sic succus* α, π, δδ, εε, ηη, ϑϑ; *sit saepius succus* ζζ. — 1393 *Stringere fluxum* η, ϑ. — 1394 Hunc vers. omitt. γ, ϰ, μ. *Vim tradit* η, ϑ; *tradunt vim pulveris* δ. *Hanc glycyrrhizae tradit* ζζ. — 1395 *Aristologia* plerumque legitur apud medii aevi medicos, quamvis herba nomen inde acceperit, quod *ἄριστα βοηθεῖ ταῖς λοχοῖς*, optimum scilicet auxilium afferat puerperis. *Legimus esse* α, μ, π; *novimus* β, ϰ. — 1396 *Cuius est* ϑ. — 1397 *Dicta secunda teres* η. — 1399 *Esse secundae* ϑ. — 1401 *Secundo est* γ, ϰ, μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. — 1403 *Sic sumpta* η; *sic prodest hausta* ϰϰ. — 1404 *Abducit* η; *producit* λ.

Cum pipere et mirrha putredine mundat ab omni
Post partum potata steras, vel subdita tantum,
Asthmaticis prodest et frigora sumpta repellit;
Pleureticos curat mixto si sumitur amne.
Quodlibet infixum superaddita trita repellit,
Vulnera cum mellis purgatque repletque liquore;
Quod si praedictis irim coniungis et inde
Ungas gingivas, dentes putredine purgat.
Splenis duriciam solvit laterisque dolorem,
Si mixta potatur aqua; febresque malignas
Hoc potata modo fertur compescere mire.
Sic etiam spasmis super omnia subvenit hausta
Et sedat diram sic saepius hausta podagram,
Et morbum curare solet sic sumpta caducum,
Et ventris nimium sic mitigat illa dolorem,
Et sic fit sumpta levior paralyticus illa.
Daemonium fumus depellere dicitur eius,
Infantes fumo tradunt hoc exhilarari.
Fistula curatur huius radicibus herbae,
Si bene purgatis eius loca concava farcis;
Singultus sumpta sedari dicitur illa.
Omnia *longa* potest quae dixi posse rotundam,
Longa tamen vires habet illa debiliores,
Unde quidem si defuerit quandoque rotunda
Par pondus longae ponatur dimidiumque;
Fomento longae prodest decoctio mire
Matricum morbis humores extenuando

---

**1405** *Purgat ab omni* β. — **1406** *Potata uteros vel* ζζ, κκ, cfr. v. **13.** — **1408** *Pleureticosque* β. — **1409** *Quid libet* π. — **1410** *Mellis purgat repletque liquore* α, ηη, ϑϑ; *mellis purgatque repletque liquore* ϑ, λ, μ, π, δδ, εε, ζζ, κκ; *mellis purgatque repleta liquore* β; *melle purgatque repletque liquore* γ, δ, η, κ; *melle purgat liquore repletque* αα, ββ, γγ. — **1412** *Ungis* δ. *Dentesque* αα, ββ. *Purgas* edd. plur.; *purgat* δ, η, κ, π, κκ. — **1413** *Dolorem* ϑ, κκ. — **1414** *Potetur* α, ϑ, κ. — **1415** *Haec* α. — **1416** *Convenit hausta* λ. — **1417** *Duram sic* κκ. — **1418** *Si sumpta* β; *morbos cur. s. s. s. caducos* ϑ; *morbum sic sumpta solet curare caducum* δ, η. Omitt. hunc vers. κκ. — **1420** *Sic quoque fit* α, β, γ, δ, μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Paraclitus* π. — **1421** *Daemonum* αα, ββ. *Dicitur huius* α. — **1422** *Infantem* ϑ. *Credunt hoc* μ; *dicunt* λ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — **1424** *Sarcis* α. — **1425** *Singult. herba sedari* η, ϑ. *Sumpta sedare* αα, ββ, γγ. *Dicitur ista* ϑ. — **1427** *Illas* αα, ββ, γγ. — **1431** *Matricis* α. *Hum. excutiendo* κ.

Pingues, et purgat eadem si sumitur illas.
Plinius hanc formare mares cum carne bovina
Appositam vulvae postquam conceperit inquit.
Trita necat pisces, admixta calce, rotunda,
Hanc ideo quidam terrae dixere venenum.

## XLII. MARRUBIUM.

Marrubium nostri, dixerunt Prassion Argi;
Hanc herbam medici calidam siccamque secundo
Tradunt esse gradu; decoctio totius herbae
Seminis aut eius phthisicos mire iuvat hausta,
Pectoris haec varios compescit potio morbos,
Et melius prodest, illi si iungitur iris;
Asthmaticos sic sumpta iuvat tussimque repellit.
Accelerat partus eadem pellitque secundas;
Si mel Marrubio iungatur, vulnera purgat,
Hocque modo curat, quae rodunt ulcera carnem;
Dicitur hoc bibitum lateris sedare dolorem.
Omnibus his succus siccatus proderit eius;
Illius succus cum vino melleve mixtus
Prodest luminibus caligine debilitatis;
Sic iuvat ictericos iniectus naribus idem,
Auriculaeque gravem dicunt curare dolorem,
Hunc mixtum roseo si fundas intus olivo.
Usum Marrubii dicunt non esse salubrem
His, qui vesicae morbo renumque laborant.

---

1432 *Eadem sublimiter illas* α; *etiam si sumitur illa* ϑ; *etiam si sumitur illos* η. — 1433 *Formare matres* ϰ. — 1435 *Ammixta* α. *Calce rotundum* δ; *caule rotunda* ϰ. Cfr. Plin. hist. nat. XXV. 8. — 1437 *Prasion* δ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ; *prassion* α, β, γ, η, ϰ, μ, π, δδ. Argi i. q. Graeci. *Dixere* α. *Graeci* η. — 1438 *Siccam calidamque* λ. — 1439 *Dicunt* β, δ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 1440 *Ptisicos, tisicos* etc. plur. codd. et edd. — 1441 *Et varios* ϑ. — 1442 *Illi prodest* β. — 1443 *Asmaticos* plur. codd. et edd. — 1444 *Secundam* γ. — 1445 *Vuln. curat* δ. — 1446 *Vuln. carnem* γ; *ulc. carnes* α, δ. — 1447 *Curare dol.* η. — 1448 *Omnib. his succus cum vino melleve iunctus Prodest luminibus* γ. — 1449 *Melleque* δ, ζζ, ϰϰ; *melleque iunctus* λ, π; *melle vel unctus* η; *melleve mixto* β. — 1451 *Invectus* α. Hunc versum et duos sequentes omitt. γ, π. — 1452 *Sedare dol.* ϰ. — 1453 Roseum olivum i. q. oleum rosatum. — 1454 *Non dicunt* β, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ.

## XLIII. IRIS.

Iri dat florum nomen color ipse suorum:
Coelestis similes sunt nempe coloribus Iris.
Illyricam dicunt illam, quia plurima nasci
Fertur in Illyria. Vis eius sicca calensque
Dicitur atque gradum dant huic in utroque secundum.
Maior vis huius est in radicibus herbae,
Has desiccandas, per frusta rotunda secatas,
Sic ut se partes non tangant insere filo,
Inque loco sicco fac suspendantur in umbra,
Vix aliter totum poteris servare per annum.
Cum vino sedant tussim, praebentque soporem,
Si latitans intus sanies praecordia laedit,
Pellitur illarum cum vino pulvere sumpto;
Cum mulsa bibitus choleram depellit iniquam,
Tormina commixto bibitus sedabit aceto,
Hocque modo sumptis dicunt prodesse venenis,
Spleneticis et contractis et frigore laesis
Cum vino bibitus pulvis medicabitur eius,
Hocque modo sumptus tardantia menstrua purgat.
Duricias stericas radicum coctio mollit,
Si subtus tepida foveantur saepius illa;
Haec cum clysterio si sit subiecta per anum,
Non modicum sciasis dicunt prodesse dolori;

---

1456 *Yri, Hyri* codd. et edd. *Nomen florum μ.* In codice δ hoc caput de iride ita incipit: *Yris purpureum florem gerit, yreos album, Gladiolus croceum, sed spatula fetida nullum, Yri dat florum* etc. — 1457 *Namque color ϑ; nempe coloribus ipsum α.* — 1458 *Illiricam, Ylliricam* plur. codd. et edd. — 1459 *Illiria, Illirica* etc. — 1461 *Huius est in rad. eius* plur. edd.; *eius est in radic. huius α, ϑ; eius est in rad. herbae γ;* nostr. lect. hab. *β, η, λ, π, ζζ.* — 1462 *Des siccandas αα, ββ; des utendas γ, λ, π. Ad desiccandas ϑ. Frustra roganda secandas μ.* — 1464 *Inde loco η.* — 1465 *Servare per κκ;* omn. al. edd. et codd. habent *siccare.* — 1466 *Tussim sedant ϑ.* — 1467 *Laedat η, ϑ; foedat* G; *sedat αα, ββ, γγ.* — 1469 *Depellet μ.* — 1470 *Commixto γ, δ, η, λ, π, κκ; commixtus ββ; cum mixto α, ϑ, κ, μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ.* — 1472 *Spleni contractis et quovis frig. α, ϑ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; spleni et contractis et quovis frig. κ; splenibus attractis et quovis frig. δ; spleneticis et contritis et frig. β; spleneticis et contractis ex frig. η;* nostr. lect. cum aliquot codd. hab. *αα, ββ, γγ.* — 1473 *Pulvis bibitus μ.* Hunc vers. cum sequente omitt. *β.* — 1475 *Duricias uteri ζζ, κκ;* cfr. v. 13. *Radicis coctio η; radicum potio γ, λ, π.* — 1476 *Suptus π.* — 1477 *Clisteri γγ; clisterio* al. edd. et codd. — 1478 *Modicum ischiadis ζζ, κκ;* cfr. v. 39. *schiasi δδ, εε, ηη, ϑϑ; sciasi δ, κ, π; sciasim μ.*

De radicibus his mixto collyria melle
Fiunt, quae vulvae pellunt subiecta secundas,
Inque locis haec fixa cavis syringia curant.
Commixtus melli desiccat vulnera pulvis,
Carneque nuda replet, si sit superadditus, ossa.
Pulveris ellebori pars tertia iungitur albi
Iris radicum tenui cum pulvere duplo,
Pulvis uterque simul commixto melle ligatur,
Hoc superappositum purgat lentigine vultum,
Et papulas eius istud cataplasma repellit.

## XLIV. ENULA.

Enula, quam Graecus Elnam vocat Eleniumque
Dicitur a medicis, est forma cognita cunctis.
Humida vis eius et fervida dicitur esse,
Humor habere gradum primum, fervorque secundum
Dicitur. Illius decoctio menstrua purgat
Si bibitur, movet urinam, depellit abortum,
Dicitur haec eadem stipatum solvere ventrem.
Radix trita fugat sciasim superaddita coxae;
Ex eius foliis cum vini nectare coctis
Mire nefreticis renes involvere prodest.
Eius radicum pulvis cum melle voratus
Tussim compescit, orthopnoicisque medetur;

---

1479 *His de radicib.* γ, ϰ. *Colliria, colleria* etc. plur. edd. et codd. — 1481 *Inque loco* π. *Inque locis haec fixa clavis* λ; *haec frixa cavis* γ; *locis cunctis haec fixa siringia curat* β. *Siring., ciring.* etc. — 1483 *Ossi* ϑ. — 1484 *Hellebori* plur. codd. et edd. *Illi* γ, π, δδ, εε, ηη, ϑϑ. — 1485 *Yri radicis t. c. pondere* η. — 1486 *Ligatus* edd.; *ligatur* γ, δ, ϑ, λ, π; *ligetur* ϰ. *Simul quae mixtio melle ligatur* η; *simul cum mixto melle ligatus* π. — 1487 *Suprapositum* αα; *superpos.* ββ, γγ. *Curat* η. *Caligine* δ, αα, ββ, γγ, δδ, εε, ηη, ϑϑ, ϰϰ; *lentigine* α, β, γ, η, ϑ, ϰ, λ, μ, π, G, ζζ, quod etiam cum Dioscoridis textu (I. 1.) congruit. — 1488 *Illud* α, δ, η, ϑ. *Resolvit* γ, η, ϑ, λ, π. — 1489 *Inula quam* εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Quam vulgus* η, ϑ, δδ, εε, ηη, ϑϑ. *Elnum vocat eleniumque* δ; *elnam voc. elleniumque* ϑ; *elenam vocat eleniumque* ββ; *elnam voc. eleniumque* α, β, γ, λ, μ, αα; *elnam voc. eliniumque* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *helenon vocat helleniumque* ζζ; *helenon voc. helliniumque* ϰϰ. — 1490 *Haec forma* αα, ββ, γγ. *Cognita multis* γ. — 1496 *Iuvat sciasi* δ. *Ischiada ac radix sanat trita addita coxae* ζζ; cfr. v. 39. — 1497 *Vino* αα, ββ, γγ. *Vino nectere cunctis* δ. — 1498 *Neufreticis, neufraticis* etc., i. q. nephriticis. *Prodest involvere renes* ϰϰ. — 1499 *Radicis* α, β, γ, η, ϰϰ. Hunc et sequentem versum omitt. λ. — 1500 *Ortonoicisque* var. codd.; *emoptoicisque* η, ϑ; *haemoptoicisque* ϰϰ.

Cum succo rutae succus si sumitur eius,
Affirmant ruptis quod prosit potio talis.

## XLV. YSOPUM.

Est Ysopum siccum calidum quoque, tertius illi
Est in utroque gradus. Eius decoctio facta
Sic ut cocta simul sint mel, ficus quoque sicca,
Prodest non modicum patientibus hausta catarrhum,
Subvenit et voci raucae versata palato,
Et prodest cunctis pulmonum sumpta querelis;
Lumbricos ventris eadem potata repellit.
In pectus capitis si destillatio fiat,
Quod persaepe solet tussim phthisimque creare,
Prodest haec eadem decoctio sumpta frequenter;
Omnibus his prodest pulvis cum melle iugatus.
Contrito viridi si iungitur oxymel illi,
Sicque datur bibitum, stipatum molliet alvum,
Cum vento nocuo viscosum flegma repellens;
Cardama si iungas his, solves fortius alvum.
Potio si viridis vel sicci saepe bibatur,
Vultibus eximium fertur praestare colorem;
Cum nitro et ficu sicca si conteris ipsum,

---

1501 *Si succ.* αα, ββ, γγ, κκ. *Succus si iungitur* η. *Huius* αα, ββ, γγ. — 1502 *Sumtio talis* κ. Post hunc versum addit λ: *Cum butiro modicoque oleo decocta tumorem Matricis subiecta tepens fugat illa colique, Et cunctis intus morbis sic subdita prodest, Hac etiam testes poteris curare tumentes, Cum foliis lauri bene tritam si superaddas.* Editio ζζ addit post v. 1502: *Hac etiam poteris testes curare tumentes.* Cfr. Regim. Salern. v. 211, 212. — 1503 *Hyssopum est siccum* ζζ. — 1504 *Decoctio sumpta* η, ϑ. — 1505 *Simul sit* η, γγ, G. — 1506 *Modice* δ, κκ; *prodest immodicum* η, ϑ. *Tussim patientibus hausta* γ, λ, π, γγ. — 1507 Hunc versum post 1508 habet γ, λ. — 1508 *Pulmonis* κκ. — 1510 *Impetus et capitis* ηη, ϑϑ; *et pectus* δδ, εε. *Distillatio* plur. codd. et edd. — 1511 *Quae* ϑ, κ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. *Tussimque ptisimque* αα, ββ, γγ. — 1512 *Decoctio facta* δ. — 1513 *Melle ligatus* μ. — 1514 *Cum trito* αα, ββ, γγ. *Viridis si iungatur* α. *Ille* δ. — 1515 *Stipatam* δ, λ, π. — 1516 *Vitiosum flecma* δ. *Repelles* μ. In edd. Atroc. et Pictor. ordo versuum mutatus est, ita ut 1518, 1519, 1516, 1517 hoc modo se excipiant. — 1517 *Carthama* α; *cartami* β; *cordume* γγ; *cardnia* δδ, εε. Diosc. (III. 27) habet *καρδάμου*, nasturtii, in aliis edd. *καρδαμώμου*, cardamomi. *Iunges* π. *Solvis* η; *solvere* δ, κκ. — 1518 *Siccae* δ; *vel sua saepe* η; *vel si cui saepe* κκ. — 1519 Cfr. Regim. Salern. v. 206. — 1520 *Vitro siccaque ficu* η; *nitro et sicca ficu* ϑ. *Siccam s. c. ipsam* λ. *Coxeris* αα, ββ, γγ.

Et superapponis spleni cataplasma tumenti
Hydropicisve, solet siccando repellere morbum;
Cum vino bibitum praecordia tensa relaxat,
Et quicunque nocet tumor interiora recedet.
In quo decoquitur si dens foveatur aceto,
Fertur ab immodico cito saepe dolore levari.
Accensi fumo sonitus compescitur auris.
Elixum appositum livores limpidat omnes,
Sic iuvat ictericos iniectum naribus idem.
Auriculae dicunt gravem curare dolorem,
Hoc mixtum roseo si fundis intus olivo.

## XLVI. ASARUM.

Est Asarum graece dictum, Vulgago latine.
Haec calidae et siccae virtutis dicitur esse,
Tertius est illi gradus, ut dicunt, in utroque.
Provocat urinam, potataque menstrua purgat,
Hocque modo iecoris medicatur sumpta dolori,
Hydropicosque iuvat, sciasim fugat hausta frequenter,
Et vulvae morbis decoctio subvenit eius.
Dicitur ictericum potata repellere morbum,
Elleborique modo vomitu praecordia purgat,
Sed non est huius purgatio tam violenta,
Nec metuenda quidem, si fiat taliter illa:

---

1521 *Superponas* ηη, ϑϑ; *superapponas* rel. edd., *superapponis* γ, η, ϑ, ϰ, λ, μ, π. — 1522 *Ydropicisque* η, ϑ. *Pellere* ϰ. — 1523 *Laxa resolvit* λ. — 1524 *Recedit* γ, λ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ; *repellit* β. — 1527 *Accensae* β, γ, η, λ, μ, π, γγ, δδ, εε. — 1528 *Humores limp.* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. Livores i. e. maculae cutis G. — 1529 *Iniectus* β, γ, λ, π. Hunc versum cum duobus sequentibus omitt. α, δ, η, μ; alia manu adscriptos habet ϑ. — 1530 *Auriculaeque gravem* β, γ, π, ζζ; *auriculae dic. grandem* ϰϰ. Hunc versum et sequentem omitt. ϰ, λ. — 1531 *Si fundas* γ, π, ζζ. In fine huius capitis et quidem post versum 1528 habet ϑ: *Pectoris humores ysopi decoctio mundat Nosque fides mundat, mundaque corda facit.* — 1532 *Graece vulgago dicta* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *dictum graece* ϰ. Nomen Vulgago huic plantae impositum iam occurrit in Fulberti Carnotensis († 1029) epist. 46: „Vulgaginem etiam petitam vobis mittimus, quamvis aetatem vestram tali iam vomitu fatigari non suademus etc." — 1535 *Potata* αα, ββ; *potatum* γγ. — 1537 *Hydropicos iuvat ischiadem* ζζ; cfr. v. 39. — 1538 Hunc vers. omitt. α. — 1540 *Praecord. mundat* δ, η, λ. — 1541 *Eius purg.* β, γ, η, λ. — 1542 *Taliter ista* δ. Gueroaldus ad hunc locum affert duos versiculos, qui conditiones in exhibendis purgationibus observandas complectuntur: „Ars, aetas, regio, virtus, complexio, forma, Mors et symptoma, repletio, tempus et aër".

Aetatem et vires eius circumspice primum,
Quem purgare voles, et tempus quale sit anni,
Et si sit regio fervens vel frigida valde,
Aut si temperiem mediam tenet inter utrumque;
Nam senibus puerisque parum donare licebit,
Aetatis mediae plus his iuvenesque requirunt,
Pinguibus et validis plus dandum quam macilentis
Debilibusque viris, magis in gelida regione
Dandum quam calida, duris quocunque labore
Plus illis tribues, quos reddunt otia molles.
Haec circumspiciens et caetera talia tractans
Non solum tutus dabis hanc, sed quaslibet herbas
Quae purgant vomitu stomachum, ventremve resolvunt.
Sed quia de cunctis dixi communiter herbis,
Quo sit danda modo proprie Vulgago docebo:
De foliis eius triginta recentia tollens,
Adde meri tantum quo possint cuncta recondi,
Tota nocte mero facias macerentur in illo,
Mane terens vino, quo sunt macerata, resolve;
Tunc olus excoctum cum pingui carne recenti
Porcina prius aegroto da sufficienter,
Et sumat vini quantum vult fortis et albi,
Sic Asari succum colatum trade bibendum.
Fortibus et magnis est hic numerus foliorum
Sufficiens, reliquis (ut diximus) est minuendus,
Iuxta quod vires, aetas et tempora poscunt.

---

1543 *Primo* δ. — 1544 *Velis et* β, ϑ. *Temp. quodlibet* ϑ. — 1546 *Utramque* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 1549 *Validis dandum est plus quam* γ. — 1550 *Debilibusque parum magis* β. — 1552 *Plus tribuas minus his quos* η; *plus dabis hisque minus quos* γ, ϑ, ζζ, κκ. *Illis* scriptum esse videtur pro *quam illis*, nisi forsan ita legendum est, contra codicum auctoritatem. — 1553 *Talia caetera* κ. — 1554 *Dabis sed* μ; *dabis has sed* κ. — 1555 *Ventremque* α, δ, ϑ, κ, λ, π, κκ; *ventremve* μ, G, ββ, γγ, ζζ; *quae purg. stomachum vomitu ventremque* γ, η; *quae purg. vomitu ventrem stomachumve* δδ, εε, ηη, ϑϑ. — 1556 *Communiter istis* μ. — 1558 *Fol. huius* β, γ, κ. — 1559 *Merum quantum sit opus quo cuncta recundi* γ. — 1560 *Facies* ϑ, κ, λ. — 1561 *Teres* κ, ηη, ϑϑ, κκ. *Quo sint* η, κ. Hunc versum omitt. λ. — 1564 *Quantum vini* ζζ; *vult quantum* δ, κ, δδ, εε. — 1565 *Collatum* η, π. — 1566 *Hic est* λ, κκ. — 1567 *Subiiciens* ηη, ϑϑ. — 1568 *Aestas* ηη, ϑϑ. *Vires eius et caetera* μ; *vires et aetas tempora* η; *vires, aetas et tempora* ϑ, κ, λ, π; *et caetera* rel. codd. et edd., sed confer v. **1821**, ubi eadem fere recurrunt.

## XLVII. MENTHA.

Vim calidam siccamque gradu fert Mentha secundo.
Illius potu vis digestiva iuvatur,
Confortat stomachum, vomitum quoque detinet hausta,
Lumbricosque modo depellere fertur eodem.
Diversis morbis occurrit testiculorum,
Si foveantur aqua, qua Menthae cocta sit herba;
Concretum solvit lac mammis addita trita,
Instillata fugat auris cum melle dolorem,
Asperitas linguae fugit illa saepe fricatae,
Haustaque cum sapa partum solet accelerare,
Trita canis morsum superaddita cum sale curat.
Haec haemoptoicis mixto succurrit aceto;
Matrici succus si subditur illius, ante
Quam fiat coitus, mulier non concipit inde.
Caseolos succus putrescere non sinit eius
Admixtus vel si viridis superadditur herba.

## XLVIII. CYPERUS.

Vim Cypero medici calidam siccamque secundo
Dicunt esse gradu. Potu depellitur eius
Calculus, urinae purgat laxatque meatus.
Dicit Apollodorus, quod pellere possit abortum,
Si mulier foveatur aqua, qua coxerit illum;
Asserit hic idem consumere posse lienem
Illius fumus, si saepius ore trahatur;
Si se sanus homo fumo subfumiget illo,

---

1569 *Menta* plur. codd. et edd. — 1570 *Degestiva* ϰ. — 1573 *Succurrit* ϑ; *occurrere* γ. — 1575 *Mammis lac solv.* α. *Lac solvit mammis si sit superaddita trita* ϑ, μ. — 1577 *Fricata* γ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 1578 *Cum cepa* (in margine notatur: al. sapa et melius) ϑ. Sapa i. e. vinum coctum usque ad consumtionem duarum partium G.; apud scriptores Romanos antiquos sapa est mustum coctione ad dimidiam vel tertiam partem inspissatum. — 1579 *Morsus* β. — 1580 *Haemophthisicis* δδ, εε; *emoptoicis* etc. var. codd. et edd. — 1583 *Sinit inde* δ. — 1584 *Viridis vel si* ϰ. — 1585 *Ciperus* semper pro *cyp.* plur. codd.; *cirpus* η. *Calidam cipero medici* λ. — 1586 *Depell. huius* α, β, μ. — 1587 *Urinam* ϑ. — 1588 *Apolodorus* ϑ, μ; *Apolloridus* ϰ; *Apolloderus* π. — 1589 *Coxerit ipsum* ϑ, μ, π; *coxeris ipsum* α; *coxeris illum* β. — 1590 *Hic inde* αα, ββ, γγ. *Consumi* α, ϑ, μ, αα, ββ, γγ, ϰϰ. — 1591 *Fumo* α, ϰ, λ, μ, ζζ, ϰϰ. — 1592 *Suffumiget*, *suffumigat*, *subfumigat* var. codd. et edd. *Isto* β, η.

Dicit eum fieri firmum magis et leviorem.
Subvenit alarum vitiis admixtus olivo
Succus, sic vitium fugat intertriginis unctum,
Humores nimios desiccat saepius haustum.
Illius solus pulvis cum melle iugatus
Ulcera mirifice vel vulnera putrida purgat,
Praecipue pulvis hic ulceribus valet oris.
Si bibitur stomachum confortat debilitatum,
Hydropicis multum succurrit saepius haustum,
Atque per urinas humores purgat aquosos.
Contrito validum Cypero si iungis acetum
Ulcera, quae serpunt, cohibes medicamine tali.

## XLIX. PAEONIA.

Paeoniam medici calidam siccamque fatentur,
Hancque tenere gradum dicunt in utroque secundum.
Splen, iecur et renes cum mulsa sumpta iuvabit,
Si iungatur ei violenter amygdala trita,
Menstrua sic purgat et fluxum detinet alvi.
Illius in vino decoctio saepius hausta
Vesicae duros sedat sic sumpta dolores,
Et scotosim sic illa iuvat stomachique dolorem,
Nefreticos eadem multum iuvat, ictericosque.
Calculus infantum potu depellitur eius;
Pressuras, inferre solent quas somnia nocte,
Paeoniae semen, bibitur si saepius, arcet.

---

1593 Plin. XXI. 18. — 1594 *Illarum* ββ, ηη, ϑϑ. — 1595 *In pruriginis* η. — 1596 *Nimios purgat siccat saepius* αα; *purgat sicca* ββ; *purgat sic* G, i. e. cum oleo; *depellit saepius* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Haustus* β, γ, η, edd. Atroc. Cornar. Pictor., κκ. — 1597 *Istius* ηη, ϑϑ. *Mellive iugatus* α, ϑ, μ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 1598 *Viscera mirif.* γ. *Et vulnera* β. — 1599 Hunc versum omitt. αα, ββ, γγ, G; post 1600 habet η. — 1601 *Yctericis mult.* δ. *Hydropicis prodest multum bene saepius* λ. — 1602 *Urinam* β. — 1603 *Contr. calidum* π. — 1605 *Peonia, peionia* etc. *Siccam calidamque* λ. — 1606 *Atque tenere* γ. — 1607 *Iecor* β. — 1608 *Iungantur* αα, ββ, γγ. *Amigdala* plur. codd. et edd. — 1610 *Huius cum vino* ϑ. — 1611 *Diros* α, μ, ζζ, κκ. *Sic sedat* δ; *siccat sic* αα, ββ, γγ. — 1612 *Scotosin* μ; *sclerosim* ζζ; *sclerosin* κκ. *Sic sumpta iuvat* ϑ. — 1613 *Neufreticos, nephreticos* etc. In edd. Atroc. Cornar. et Pictorii versus 1614 ante 1613 ponitur. — 1614 *Depell. huius* α, λ; *depell. isto* β, γ; *deducitur eius* δ. — 1615 *Solent insomnia* ηη, ϑϑ. Sermo est de ephialte s. incubo.

Illius radix pueris suspensa caducis
Non modicum prodest, Galienus ut asserit auctor;
Quendam se puerum narrat vidisse caducum,
Aetas cuius erat annorum circiter octo,
Paeoniae puer hic radicem ferre solebat
Appensam collo; quadam vice decidit illa,
Moxque puer cecidit, solito qua more ligata
Protinus evasit; Galienus vero probare
Rem plene cupiens radicem denuo dempsit
De collo pueri, cecidit, viguitque resumpta;
Cognita vis herbae fuit huius sic manifeste.
Ipse Dioscorides cunctis ait esse caducis
Aptam, si bibitur vel si suspenditur illa.
Seminis illius ter quinque rubentia grana
Cum vino fluxum matricis sumpta coërcent;
Nigra solent varios matricum pellere morbos,
Si totidem dantur cum vino nocte bibenda.
Huius sunt geminae species, mas dicitur una,
Altera, quae minor est, species est femina dicta:
Radix maioris est palmis longa duabus
Grossaque ceu digitus; radix divisa minoris
Dicitur in plures radices, haec bene purgat
Post partum potata steras vino sociata,
In cunctis reliquis similis vis dicitur illis.

---

1617 *Pueris radix* ϑ. — 1618 *Velut asserit ipse Galenus* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. Galen. de simplic. facult. lib. VI, cap. 3, sect. 10, περὶ γλυκυσίδης, ed. Kühn, tom. 11. pag. 859. — 1622 *Quadam die decidit* α; *vice concidit* ηη, ϑϑ; *vice detulit illam* γ. — 1623 *Puer recidit* ηη, ϑϑ. — 1624 *Galienus nempe prob.* ϑ; *rem vero probare Galenus* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 1625 *Hanc plene* eaed. edd.; *tunc plene* δ; *rem cupiens plene* η, κ, π. *Denuo prensit* κ; *pressit* α. — 1626 *Morboque resumpta* κ; *surgitque resumpta* β. — 1627 *Eius sic* β; *huius tam* α, λ, μ, π. — 1629 *Illam* γ; *superadditur illa* ϑ. — 1630 *Virentia grana* η, ϑ. — 1632 *Matricis* β, γ. — 1633 *Nocte bibendum* η; *dantur si vino nocte bibantur* ϑ. — 1636 *Palmis est* γ. *Duobus* plur. codd. et edd. — 1637 *Grossa* η, ϑ; *crassaque* α, ζζ. *Seu digitus* γ, δ; *sex digitis* αα, ββ, γγ, G. — 1639 *Potata uteros* ζζ, κκ; cfr. v. 13. — 1640 *Similis sed* β; *simulari dicitur illi* γ, sed corrigitur: *similis vis. Dicitur illi* κ; *dic. esse* ϑ.

## L. BARROCUS.

Herbam, quam Graeci dixerunt Mellisophyllon,
Barrocum nostri dicunt vulgariter; illa
Prae cunctis apibus gratissima dicitur herbis.
Nec gaudere magis ullius flore videntur;
Contritis foliis apium si vasa perungas,
Non fugient, meliusque facis, si lac sibi iungas,
Unguine cultores retinent examina tali;
Auxilium praesens apium fert ictibus illa,
Ictus detrita tegitur si protinus herba,
Hocque modo, quos vespa nocet vel aranea, curat.
Trita solet veteres compescere cum sale strumas,
Hocque modo vitiis dicunt succurrere sedis,
Femina purgatur decocto cum sale succo,
Tali discutitur inflatio noxia potu;
Eius si viridis decoctio saepe bibatur,
Antiquos dysentericos iuvat et ciliacos,
Asthmaticis eadem prodest orthopnoicisque,
Ulcera depurgat, morbos levat articulorum.
Herba canis morsus superaddita cum sale curat
Eius fomento; decoctio menstrua purgat,
Ore retenta solet dentis sedare dolorem,
Lumina purgari caligine Plinius inquit,
Eius si succo fuerint cum melle peruncta.

---

1641 *Melissophillam* α; *melisophylos* β; *mellisophillos* κ; *mellisophillon* λ; *melisophilos* μ, ββ; *melisophillos* π; *mellisophilos* αα, γγ; *melisophyllon* δδ, εε, ηη, ϑϑ, κκ; *melisophilon* ζζ. — 1642 *Barocum* α, γ, ϑ; *barocam* β; *boracum* δ, η; *barrachum* κ; *baratum* μ; *baracum* π; *boragum* δδ, εε, ζζ; *boragam* ηη, κκ; *borragam* ϑϑ. *Illam* α, β, γ, δ, η, κ, edd. Atroc. Cornar. Pictor. et κκ. — 1643 *Gravissima* αα, ββ. *Herba* γ, κ. — 1644 *Illius* β, ϑ. — 1645 *Contritae* α, δ, λ, μ, δδ, εε; *contusis* κ. *Floris* γ, δδ, εε; *floris foliis* δ; *floribus* β; *foliis et* γ. — 1646 *Fugiunt* α, β. *Facit* αα, ββ, γγ. — 1649 *Si saepius* λ. — 1650 *Arania* δ. — 1652 *Succurr. foedis* α, δ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 1653 *Fem. curatur* γ, ϑ. *Decoctae* α, γ, μ, π. — 1656 *Dissent.* var. codd. et edd. *Et quiliacos* δ, μ, π; ciliacus morbus i. q. coeliacus. *Atque dysentericis prodest haec coeliacisque* ζζ, ita scilicet mutante Cornario, ne contra metrum peccetur. — 1657 *Asmat.* plur. codd. et edd. *Ortonoic.* it.; *emoptoicisque* ϑ. — 1658 *Iuvat articul.* ϑ, λ. — 1659 *Morsum* ϑ, κ. — 1661 *Oreque trita* α; *oreque tenta* λ. *Dolorem* αα, ββ, γγ. — 1662 Plin. XXI. 20.

## LI. SENECION.

Erigeron Graeci, nos Senecion vocitamus,
Quod canis similis videatur flore capillis;
Nascitur in muris et in hortis et tegulatis.
Illius herbae vis frigida dicitur esse,
In medicinali radix non ponitur usu.
Flores cum foliis tundens infundito vini
Permodicum dulcis, et sic tepefacta tumori
Haec simul apponas ani vel testiculorum;
Addito thus istis, nervos et vulnera quaevis
Curabis facile posito cataplasmate tali.
Haec eadem triti facient eius capitelli.
Potari prohibent, quia suffocare bibentem
Quidam confirmant, at contra Plinius auctor
Ictericis quosdam potum donasse salubrem
Cum vino dicit, talique modo medicari
Morbis vesicae, plures ait ille probasse,
Et cordis vitiis illam iecorisque dedisse,
Torminibus quoque cum passo, iuvisseque potu
Hoc varios morbos, praecordia quos patiuntur;
Et viridis facit hoc si tincta voretur aceto,
Trita solet duras haec cum sale spargere strumas;
Hanc circumscriptam si quis fodiat sine ferro

---

1664 *Erigeton γ*, corrigitur *Irigeon*; *erigenon δ*; *erigonum η*; *origeron λ, π, αα, ββ, γγ*; *Senetion, senation, senition, senitium*, etc. *Erigeron Graecis nobis Senecio dictus ζζ, origeron Gr. nob. sen. dict. κκ.* — 1665 Dioscor. IV. 95: *διὰ τὸ ἔαρος τὰ ἄνθη τριχοειδῶς πολιοῦσθαι. Videtur β, ϑ.* — 1666 *In oris et stabulatis β*; *ortis et stabulatis γ*; *ortis et tabulatis δ, ϑ*; *hortis et tabulatis κ, δδ, εε, ζζ, κκ*; *hortis et in tabulatis ηη, ϑϑ*; *nascitur in ortis in muris et in tabulatis π*; *in muris et in ortis et tegulatis αα, ββ, γγ.* Diosc. l. c. habet *ἐπὶ ϑριγκοῖς καὶ περὶ τὰς πόλεις*; Plin. XXV. 13: „nascitur et in tegulis et in muris"; etiam Gueroaldus loquitur de tegulis. — 1666 *Illius valde vis herbae ϑ*; *herbae praedictae vis η*; *frigida vis herbae praedictae η.* — 1669 *Tundes μ. Vino κ.* — 1670 *Dulcis sic η.* — 1673 *Facile imposito ζζ, κκ.* — 1674 *Vel eadem α. Trita f. e. capitella γ, η, κ*; *faciunt eiusque capilli ϑ. Faciunt β, ϑ, κ, π.* — 1676 *Quidam affirmant α, β, η, κ.* — 1677 *Ict. huius αα, ββ, γγ*; *quondam β, δδ, εε, ηη, ϑϑ*; *quodam δ*; *quisdam λ*; *quosdam α, γ, η, ϑ, κ, μ, π, ζζ. Potu δ*; *potam π. Saluti π*; *salutem αα, ββ, γγ*, G. — 1678 *Dixit γ.* — 1679 *Pluries* G et nonnulli codd.; *pluribus β. Ille prodesse π.* — 1680 *At cordis γ. Viciis* plur. codd. et edd. — 1681 *Iuvasseque potu π*; *minuisseque potu γ*; *mulsae quoque potu ϑ*; *potuque iuvasse αα, ββ, γγ.* — 1682 *Haec α, δ, η.* — 1683 *Aut virid. γ. Si sumpta γ*; *si intincta μ.* — 1684 *Hoc κ.* — 1685 Hunc versum cum quatuor sequentibus omitt. *α.*

Et tangat dentem vicibus tribus inde dolentem,
Unaquaque spuens vice, postque reponat eodem,
Quo fuit orta, loco, sic rursum vivat ut herba,
Plinius ut dicit, non amplius ille dolebit.

## LII. CHELIDONIA.

Esse Chelidoniae species geminae referuntur
A medicis: species est maior prima vocata,
Altera vero minor; oculis medicatur utraque,
Coecatis pullis hac lumina mater hirundo,
Plinius ut scribit, quamvis sint eruta, reddit;
Hanc nasci dicit avibus venientibus illis
Et desiccari, solito dum more recedunt,
Indeque nomen habet Chelidonia, namque chelidon
Dicitur haec volucris Graecorum more vocari.
Florentis succus cum melle coquatur in aere
Igne levi, spumam donec proiecerit omnem
Et quasi crassitiem mellis decoctio sumat;
Utilius nullum dicunt oculis medicamen,
Quos caligo nocet, si sint hoc saepe peruncti.
Conteritur iuncto sibi radix eius anetho
Et sic ictericis cum vino sumitur albo;
Dentis, ut affirmant, prohibet contrita dolorem.
De foliis eius contusis si cataplasma
Cum vino fiat, maculas abstergere dicunt.

---

1686 *Tangit* η. *Dentes v. tr. inde dolentes* δ. — 1687 *Reponet* η, ϑ; *reponens* δδ, εε, ζζ. — 1688 *Rursus* β; *sursum* αα, ββ, γγ. *Ut vivat* δ; *vivet ut* δδ, εε, ηη, ϑϑ. — 1689 *Dicit iam non dens ille* ϑ, μ, π; *dic. iam n. d. inde* λ; *dic. n. ampl. inde* β. — 1690 *Celidoniae* plur. codd. et edd. *Geminae spec.* α, λ, π. — 1691 *Maior species est* β, ϰ, λ. — 1692 *Oculis herba utraque prodest* ϰϰ; *medicantur utraeque* π. — 1693 Hunc et sequentem versum habet Regim. Salern. v. 218, 219. *Caecatis*, *cecatis*; *yrundo.* — 1694 *Scripsit* β, ϑ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 1695 *Dicunt* β, ϑ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. — 1697 *Celidon* β, δ, η, ϑ, ϰ, μ, π. — 1698 *Vocata* α. — 1700 *Leni* δ?, ϑ. *Proieceris* ηη, ϑϑ; *deiecerit* λ. — 1701 *Donec grossitiem* ϑ. *Crassit. mollis* λ. *Sumit* δ. — 1703 *Queis* ϰϰ. *Sint persaepe peruncti* η. — 1704 *Eius aceto* β, δ, ϑ, ηη, ϑϑ; σὺν ἀνίσῳ Diosc. II. 211, ita ut vel hic, vel Macer corrigendus sit. — 1705 *Et sic ab* η; *sic et ab* ϰ. — 1706 *Dentibus illatum* αα, ββ, γγ, G; *illarum* μ; nostram lectionem habent rel. edd. et β, γ, δ, η, ϑ, ϰ, λ, π. *Cohibet* γ. *Dolores* δ. — 1707 *Contunsis* γ; *concussis* μ.

## LIII. CENTAUREA.

Sunt Centaureae species, maiorque minorque,
Ut suprascriptis dixi de pluribus herbis,
Sed quia perpaucis species est cognita maior,
Hanc praetermittens vires narrabo minoris,
Quam notam cunctis credo vulgaribus ipsis.
Desiccativae virtutis dicitur esse,
Non modicum plagas conglutinat inde recentes,
Inque cicatricem veteres superaddita ducit;
Illi, qui sciasim patitur, decoctio mire
Prodest, illius si sit subiecta per anum,
Sanguine detracto sedat mox illa dolorem,
Fomento nervis eadem medicabitur aegris.
Illius succus deducit menstrua sumptus,
Pellit abortivum; medicamina cuncta maligna
Cum vino sumptum dicunt purgare per alvum;
Melle sibi iuncto caligine lumina purgat.
Illius exprimitur autumni tempore succus,
Quem desiccatum ferventi sole reponunt,
Ad rerum curam, quas diximus ante, salubrem.

## LIV. COLUBRINA.

Herba, Dragonteam Graecorum quam vocat usus,
Haec eadem vulgi lingua Colubrina vocatur,
Quod colubro similis maculoso cortice surgit,
Ex quibus antiquis expertum credimus esse,

1709 *Sunt duae cent.* α. — 1710 *Supradictis* γ, δ, λ, π, δδ, εε, ηη, ϑϑ. *Dixit* ββ. — 1712 *Maioris* αα. *Narrando minoris* μ. — 1713 *Cunctis not. cr. vulg. ipsa* αα, ββ, γγ. *Vulgarib. esse* λ. — 1714 *Creditur esse* ηη, ϑϑ. — 1715 *Congl. ipsa* α; *illa* ϑ. — 1716 *Cicatrices* αα, ββ, γγ, κκ; *cicatricem* rel. edd. et α, γ, η, κ. *Veterem* α, κ. *Atque cicatrices veteres* β. *Superaddita dicunt* δ. — 1717 *Ischiada at si quis* ζζ; cfr. v. 39. — 1718 *Subducta* γ. — 1719 *Mox sedat* γ. — 1720 *Fomentis eadem multum* δ. — 1722 *Pellit abortum med. cuncta malignus* β. — 1723 *Per anum* ϑ. — 1726 *Desiccandum* ϑ. — 1727 *Ad tales curas* ηη, ϑϑ; *ad renum curam* η, ϑ, δδ, εε, ζζ, κκ; *ad rerum curas* λ. *Quas dicimus ante* αα, ββ, γγ; *quam diximus ante* δδ, εε, κκ; *quam diximus esse* κ; *quas diximus esse* ηη, ϑϑ. — 1728 Inscriptioni additur in β *Serpentina*, in μ *id est herba bixaria*. *Herbam* nonnulli codd. et edd. *Dragontheam* γγ; *dragunteam* α, γ; *dracontciam* δδ, εε, ζζ; *dracontiam* ηη, ϑϑ; *draconteam* η, λ, μ; *dracontea* β, δ, κκ. — 1729 *Lingua vulgi* ϑ, λ. *Coluberna* η. — 1730 *Cortice surgat* η, ϑ, κ, δδ, εε, ζζ, κκ; *corpore surgat* ηη, ϑϑ. — 1731 *Expertum hoc antiquis* β. *Compertum credimus* α, ϑ, μ.

Quod queat a simili colubrina venena fugare.
Quisquis se trita radice perunxerit eius,
Tutus ab incursu serpentum dicitur esse;
Morsibus illarum cum vino sumpta medetur.
Si iungas oleum cum succo seminis eius
Auribus infundens poteris sedare dolorem;
Hoc succo lanam madidam si naribus addas,
Compesces morbum, qui polypus est vocitatus;
Sic etiam cancris magnum solet esse iuvamen.
Succo radicis eius caligo fugatur
Et varii morbi, quos lumina perpetiuntur,
Ex ipso puro si sint lita melleve mixto;
Et prodest oculis radix si manditur assa;
Cum pusca granis ter denis seminis haustis
Lumina munda ferunt pulsa caligine reddi.
Si marcescentis illius floris odorem
Nare trahat praegnans, deponere fertur abortum,
Vel si sit radix matrici subdita trita.
Pulvis radicis eius cum melle iugatus
Tussim compescit sumptus, sedatque catarrhum
Et confert haemoptoicis; hoc saepe iuvamen
Pectoris humores exhaurit non redituros;
Omnibus his prodest radix si sumitur assa,
Istud idem faciet eius decoctio sumpta.
Eius cum vino radix venerem movet hausta.
Provocat urinas, fagedaenica vulnera purgat,
Si sit ei tritae cum melle bryonia iuncta;
Vulneris haec mundat sordes, syringia curat,

---

1732 *Coluberna* η. — 1733 *Si quis se* δ. *Perunxeris* ζζ. — 1734 *Ab occursu* γ; *ingressu* ϑ. — 1735 *Illorum* β, γ, η, ϑ, ϰ, λ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. — 1736 *Sem. huius* β. — 1739 *Compescet* β, μ. *Polipus* var. codd. et edd. — 1740 *Hic succus cancris* α, λ, μ; *hic cancris succus* π. *Levamen* δ. — 1741 *Et succo* β. — 1743 *Mixta* ϰ, λ. — 1745 *Posca* ϰϰ. *Tridenis* π. *Hausta* δδ, εε, ηη, ϑϑ. — 1746 *Munda queunt* ϑ. Diosc. II. 196 habet: ποϑέντες δὲ ὅσον λ' ϰόϰϰοι μετὰ ὀξυϰϱάτου ἐξαμβλώσϰουσι, abortum inferunt. — 1748 *Trahit* μ. *Depellere fertur* ϑ. — 1752 *Et profert emopt.* α. *Haemophthisicis* δδ, εε. — 1755 *Facit illius* γ, η, ϰ. — 1757 *Urinam* δ, ϰϰ. *Flegedenica, flagedenica, fagedonica, fagetidica* etc.; *comedentia vulnera* λ; *ferventia vulnera* δδ, εε. *Curat* α, λ, π; *sanat* δδ, εε, ζζ, ηη. — 1758 *Brionia, brionica, brionea, bionica.*

Sola sibi iuncto maculas depellit aceto.
Esse pedum vitium dicunt, cui pernio nomen
Est a pernicie membri patientis id ipsum,
Plebs dicit mulam, solet hoc de frigore nasci,
Amne Dragonteae radices decoque tali,
Pernio deletur, si saepius amne fovetur.

## LV. GAISDO.

Isatis a Graecis est vulgo Gaisdo vocata,
Non modicum quaestum praebens tinctoribus herba.
De foliis eius tritis factum cataplasma,
Vulnera (magna licet) conglutinat atque cruorem
Illorum sistit, reprimit quoscunque tumores,
Si cum melle teris hanc, sordida vulnera purgat;
Emundat maculas et sacro subvenit igni,
Ovi si iungens albumen eam superaddas.

## LVI. ELLEBORUS ALBUS.

Elleborum geminas species testantur habere,
Album, quod sursum purgat, nigrumque deorsum;
Vim siccam calidamque tenent et tertius illis
Est in utroque gradus, nigro violentius album
Dicitur, unde prius dicam de viribus eius.
Suppositum quocunque modo depellit abortum,
Naribus attractus sternutamenta movebit
Illius pulvis capitis pellentia morbos;
Miscetur confecturis, quae lumina purgant,

---

1761 *Pernia β.* — 1762 A perna vox pernio deducitur. *Ad ipsum ββ.* — 1763 *Mulem ββ; mullam μ; molam β; dicit plebs illam solet haec ϑ. Mulam sol. haec a γ, haec de αα, ββ, γγ, ϰϰ.* Hunc versum omitt. *α.* — 1765 *Fricetur μ; lavetur αα, ββ, γγ.* — 1766 *Satis α; siatis δ; uatis ϰ, ββ; usatis αα, γγ; isaris λ; ischas δδ, εε, ηη, ϑϑ; gatis π. Vulgo quae gaisdo vocatur ϰ; est vulgo gaisdon vocata β; gaisda vocata γ, δδ, εε, ζζ; gaisdo vocata π, ϰϰ; gaysta vocatus η; caisdo vocatur λ; caisdo vocatus μ.* De huius nominis etymo vide proleg. ad Macr. pag. 11. — 1767 *Praebet γ.* — 1768 *Fiet catapl. αα, ββ, γγ.* — 1770 *Istorum β, γ. Reprimes ϑ. Quoque tunsa tumores γγ.* — 1771 *Teras ζζ; tritis π. Iunctum melle teris β.* — 1772 *Et mundat γ, μ; emendat δ, ϑ, ϰ.* — 1773 *Iunges η; iungas ϑ. Ei ϰ; eas π.* — 1774 *Helleborum* plur. edd. *Spec. gem. ϑ. Testatur β, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ.* — 1775 *Qui β; quae ϑ.* — 1776 *Tenet δδ, εε, ηη, ϑϑ. Illi ϰ.* — 1778 *Inde prius η, ϑ; inde primis π. Viribus albi ϑ.* — 1780 *Adtractus λ; adiunctus μ.* — 1781 *Repellere morbos β.*

Et multum prodesse ferunt vitiis oculorum.
Pultibus admixtus mures pulvis necat eius,
Et cum lacte datus est muscis perniciosus.
Dicunt per vomitum varios educere sumptum
Humores, veteresque ferunt sic pellere morbos,
Purgatur tali vomitu vertigo vetusta,
Insanis, melancholicis valet atque caducis,
Saepeque curatur sumpto lymphaticus isto.
Hydropicis in principio mire medicatur,
Emundat lepram, tetanum fugat atque podagram,
Confirmat tremulos, redeuntia tormina curat,
Diversis vitiis stomachi sciasique medetur
Et tussi veteri, febribus super omnia prodest
Quartanis, annis iam pluribus inveteratis.
Ingenti cura sumpturum Plinius ipsum
Admonet, ut septem se praeparet ante diebus,
Humectisque cibis corpus bene temperet omne,
Nec sero coenet, qui debet sumere mane,
Et quando sumet, iubet explorare serenam
Et calidam claramque diem, ventisque carentem;
Observare quidem curam si spreverit istam,
Passurum nimios affirmat eum cruciatus,
Elleborumque iubet in pultibus antea coctum
Aut in lente dari, sic dicit non nociturum;
Hocque dari prohibet senibus puerisque tenellis,
Mollibus et timidis, animique viris muliebris,
Et macris nimium dicit non accipiendum;
In succo ptisanae vel mulsa paneve coctum

---

1784 *Pulvis mures* η, ϑ. — 1785 *Muscis est* λ, ζζ, κκ. — 1786 *Deducere* δ. — 1787 *Veteres referunt* δ; *vet. fertur* π. *Depellere* γγ. — 1788 *Purgari* δ. *E tali* γγ. — 1789 *Insanisque* ζζ, κκ, metri causa. — 1790 *Duratur* μ. *Lunaticus isto* ϑ. — 1791 *Hydropicos* α. — 1792 *Et mundat* ϑ; *emendat* κ. *Thenatum* α; *tesanum* β. — 1794 *Sciasimque* γ, μ; *ischiadique* ζζ; cfr. v. 39. — 1795 *Febribusque per* δδ, εε, ηη, ϑϑ. — 1797 *Cura qui sumit* ϑ. *Istum* αα, ββ, γγ; *istud* κκ. — 1798 *Ammonet* β, μ. — 1801 *Quandoque* δ, η. *Serenum* π. — 1802 *Cal. siccamque diem* λ. — 1803 *Obs. iubet curam* α, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Spreverit illam* ϑ; *sumpserit istam* λ, π. — 1804 *Cruciatos* δ. — 1805 *Elleborum iubet* κ. *Pultis* η. — 1806 Hunc versum omitt. π. *Aut* omitt. αα, ββ. *Intrepide dari* γγ, G. — 1807 *Hocque modo proh.* γ. *Puellisque* αα, ββ. — 1808 *Tumidis* β. — 1810 *Tisanae* plur. codd. et edd.

Sumere praecipiunt alii, sic utile dicunt.
Philo composito fertur scripsisse libello,
Qualiter Elleborum sit nobis accipiendum,
Inque suis Ipocras aphorismis istius herbae
Solius meminit, quam noverat utiliorem.
Plures scripserunt huius de viribus herbae,
Et quo sit sumenda modo docuere quibusque;
Non tamen inveni, perplura volumina volvens,
Ullum, qui certum pondus donare iuberet
Illius; dixisse satis se, credo, putabant,
Cum iuxta vires, aetates, tempora dandum
Iussissent, mihi vero satis non esse videtur
Tutum, rem, subitum quae confert saepe periclum,
Commendare dari cuiquam sine pondere certo.
Plinius ut scribit, Themison donare solebat
Ellebori dragmas geminas, tribuisse sequentes
Bis binas etiam confirmat, non tamen ipse,
Pondere quo iubeat sumi, statuisse videtur;
Cum tamen Ellebori nigri iubeat dare dragmam,
Quatuor aut scrupulos, mihi significare videtur,
Albi dimidium pondus tantummodo dandum,
Quod longe nigro violentius esse fatetur.

---

1812 *Philo* α, γ, λ, αα, ββ, ζζ, ϰϰ; *Phylo* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *Phylon* β; *Philon* γγ; *Filo* ϰ; *Filon* η, ϑ. *Composite* β; *compositum* ϰ. *Libellum* β, ϰ. — 1813 *Elleborus s. n. accipiendus* β. — 1814 *Hipocras* ϑ, εε; *Hypocras* ϰϰ; *Ypocras* αα, γγ. *Hippocratesque suis* ζζ; *Ypocrasque suis* β. *Amphorismis* α; *afforismis* π. *Illius herbae* ϑ. — 1815 Inter hunc et sequentem versum interponit versum 1829 et 30 cod. δ. — 1816 *De viribus istius* α, ϰ. Hunc versum et antecedentem omitt. μ. — 1817 *Quibusdam* ϑ. Quibusque i. e. et a quibus hominibus G. — 1818 *Quam plura volumina* αα, ββ; *complura* γγ; *perplura* rel. edd. et α, γ, δ, η, ϰ, λ; *perplurima scripta revolvens* β, ϑ. — 1819 *Illum qui* ϑ, π; *unum qui* λ. — 1823 *Tutam* ϑ, δδ, εε, ηη, ϑϑ. *Subito* ϰϰ; *subitam* λ. — 1824 *Commandare* ββ. — 1825 *Scripsit* α, β, λ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Temison* δ, λ, π; *temiphon* ϰϰ. — 1826 *Drachmas* al. *Geminas drachmas* ϑ. — 1827 *Gingivas etiam* α; *bis etiam binas* δ; *bis binis etiam* μ. *Confirmant* λ. *Ipso* α, ϰ. — 1829 *Drachmam* al.; *drachmas* ϑ. — 1830 *Quattuor* αα, γγ. *In scrupulo* α; *aut obolos* ζζ; *obulos* ϰϰ, ad mentem Plinii XXV, 5: „ex aqua datur ad leniter molliendam alvum, plurimum drachma, modice quatuor obolis". — 1832 *Esse fatentur* ϰ; *esse videtur* λ.

## LVII. ELLEBORUS NIGER.

Elleborum nigrum non est adeo violentum,
Nec formidandum quantum quod diximus album;
Hoc quoque praecipiunt veteres in lente coquendum,
Aut in iuscellis; sic insanis medicari
Assumptum dicunt et sic prodesse podagrae.
Hydropicis mota febre dicitur auxiliari,
Miram sentit opem sumpto paralyticus illo,
Et varios bibitum morbos levat articulorum,
Educit choleras varias et flegma per alvum,
Elixaturae potu caligo fugatur,
Duricias suppuratas factum cataplasma
Concoquit et purgat; vacuat syringia callo
Infixus modicus radicis surculus eius,
Postque dies geminos sit surculus ille remotus.
Hordea, quam dederint, contrito iunge farinam,
Hydropicus tumor appositis siccabitur istis;
Menstrua suppositum purgat, depellit abortum,
Auditum reddit, si surdis auribus illud
Imponas et post biduum triduumve repellas.
Appositum tollit maculas eius cataplasma,
Emundat lepras, scabies quascunque repellit.
Ore diu tentum, quo coxeris illud, acetum
Dentis non modicum dicunt sedare dolorem.

---

1833 *Helleb.* al. *Non esse* μ. — 1834 *Vel formidandum* ηη, ϑϑ. *Quant. modo diximus* γ; *quant. nos dix.* ϑ; *sic quantum dix.* ζζ; *tantum quam dix.* π. — 1835 *Quoque praecipue* κκ. *Polenta coquendum* β. — 1836 *Viscellis, vissellis, vicellis, iussellis* var. codd. et edd.; *iuscellis* α, γ, ζζ, κκ, secund. Diosc. IV. 149: συνέψεται δὲ καὶ φακῇ καὶ ζωμοῖς κ. τ. λ, ita ut iuscellum dicatur pro iusculum. — 1837 *Sic et* ϑ. — 1838 *Hydropicisque* β. *Hydropicis mota febrem datur* η. Hunc versum ante v. 1837 ponit π. — 1839 *Sumpta par. illa* π. *Isto* κ. — 1840 *Varios habitum* δ. — 1841 *Eduxit* αα, ββ. Choleras varias i. e. bilem flavam et nigram. *Fleuma, phlegma* al. — 1842 *Potuque caligo* α; *potu caligoque* αα, ββ, γγ. — 1843 *Supputatas* δ; *subduratas* η; *supparatas* λ. *Duricias stericas solvit fact.* κ. — 1844 *Decoquit et* η; *concoquitur purgat* ϑ. *Vacuo* π. *Siring. ciring.* al. *Collo* plur. codd. et edd. — 1845 *Modicum* αα, ββ, γγ. *Infelix modicus* λ. — 1846 *Perque dies* β. *Circulus ille* λ. — 1847 *Ordea* plur. codd. et edd. *Contrita* δ. — 1848 *Illis* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Hydropicis t. appositus* nonnullae edd. — 1850 *Illum* δ; *istud* ϑ, π, ζζ. — 1851 *Apponas* λ; *infundas* δ. *Trituum biduumve* η, κ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Repelles* δ. — 1853 *Et mundat* β. *Lepram* β, ϑ. *Scabiem quamcunque* ϑ. *Repellis* π. — 1854 *Coxerit* β. — 1855 *Dentis immodicum* α, ϑ.

Ellebori nigri praecepit Plinius unam
Donari dragmam, leviter sic promovet alvum,
Plusquam bis binos obolos vetat accipiendum.

## LVIII. VERBENA.

Verbenam Ierobotanum Peristereonque
Appellant Graeci; species haec fertur habere
Binas, effectus est idem pene duabus.
Cum vino iuvat ictericos, si saepe bibatur;
Pestiferos morsus curat superaddita trita
Cum vino (renovanda quidem per quatuor ista
Est medicina dies); oris bene vulnera purgat
Illius succus tepidus si volvitur ore,
Hoc quoque facta recens herbae decoctio praestat,
Hac etiam quaevis putredo repellitur oris,
Si tepefacta diu volvatur fauce sonora.
Glutinat herba recens vulnus superaddita trita,
Occurrit cunctis cum vino sumpta venenis.
Quae furit alternis febris accedendo diebus
Pellitur hac, tribus assumptis radicibus eius
Cum totidem foliis potetur aqua resoluta
Ista prius, patiens quam frigus sentiat ullum;
Hocque modo febribus quartanis illa medetur,
Bis binis foliis cum tot radicibus haustis.
Illius in vino si sit decoctio facta,
Convivas hilares inter convivia sparsa

---

1857 *Drachm.* al. *Leniter* ϑ. *Sic commovet* ϑ, λ. — 1858 *Bis senos* α. *Obulos* η, ϑ, κκ. — 1859 *Hierobotanum* α; *ierobotanumque* β; *hierobotanem* edd. Atroc. Cornar. Pictor. κκ; *gerebotanum* ϑ; *gerobotanum* αα, ββ, γγ; *ierobotanum* γ, δ, κ, λ, μ, π. *Peristerionque* α, ηη, ϑϑ, κκ; *perysterionque* η; *pistereonque* λ; *pestiferumque* ββ; *peristereonque* γ, δ, ϑ, κ, μ, π, αα, γγ, δδ, εε, ζζ. — 1862 *Vino yctericos curat si* π. — 1864 *Removenda* ββ. *Quattuor* αα, γγ. — 1867 *Haec quoque* α. — 1868 *Putredo pellitur* η, ϑ. — 1869 *Si bene saepe diu* π. *Voce sonora* η; *fauce soluta* μ. Id est, si gargarizetur. — 1872 *Fluit alterius* α; *fuit alterius* β, αα, ββ; *fuit alternis* δδ, εε; *sinit alternis* π. *Accedenda* αα, ββ. — 1873 *Pellitur ac tribus* γ; *a tribus* ϑ. *Sumptis* δδ, εε, ηη, ϑϑ. — 1874 *Potantur* ϑ; *potentur* δ, η, κ, μ, δδ, εε, κκ; *potenter* ηη, ϑϑ. *Aquis resoluta* δ, κκ; *aqua resolutis* ϑ. — 1875 *Pavens* αα, ββ, γγ. *Senserit* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *sentiat illud* α; *illum* β, λ, ζζ. — 1877 Paulo aliter Diosc. (IV. 61): *δίδοται δὲ τριταΐζουσι πιεῖν τὸ τρίτον γόνυ ἄπὸ τῆς γῆς σὺν τοῖς περικειμένοις φύλλοις, τεταρταΐζουσι δὲ τὸ τέταρτον.* — 1878 *Decoctio sumpta* λ. — 1879 *Convivia facta* δ.

Reddere narratur, ut iam praescripta buglossa.
Hanc herbam gestando manu si quaeris ab aegro:
Dic, frater, quid agis? bene si responderit aeger,
Vivet, si vero male, spes est nulla salutis.
Ex hac compositam quidam iussere coronam
Apponi capiti causa quacunque dolenti,
Sic dicunt illam celerem conferre medelam.
Plinius affirmat, hanc omnibus esse salubrem
Visceribus, lateris morbis, iecorisque querelis,
Pectoris et vitiis, et praecipue medicari
Pulmonum causis hanc asserit ille pthisique.
Parotidas reprimit adipi commixta vetusto.
Herbam cui nomen foliis de mille dedere
Betonicamque pari Verbenae pondere iunge,
Haec mixta potentur aqua, nullum medicamen
Utilius credunt illis, quos calculus angit.
Non modicum laudare Magos hanc asserit herbam
Plinius, hanc cunctis dicunt obsistere morbis,
Et quod quisque petet hac impetrare perunctum:
Sic et amicitias captari posse potentum
Et pelli febres et plurima talia fingunt,
Quae, quamvis natura potens concedere posset,
Vana tamen nobis et anilia iure videntur.

---

1880 *Narrabunt δ. Perscripta αα, praescripta* rel. edd., G et *δ, η, κ, π; descripta α, β, ϑ, λ, μ. Narratur veluti facit herba buglossa γ.* Cfr. v. 1137 et sequentem. — 1882 *Dic fertur β; dic supra δ. Narra quid fertur bene si κ. Quid agas ηη, ϑϑ. Responderit ipse γ, μ.* — 1883 *Unique (utique) si vero η.* — 1884 *Ex hoc ηη, ϑϑ. Oppositam λ.* — 1886 *Conferre salutem δ, κ, π.* — 1888 *Visceris et lateris β; ulceribus morbis lateris iecorisque η; visceribus morbis laterum iecorisque λ; visc. lat. iecoris morbisque αα, ββ, γγ.* — 1890 *Pulmonis π. Ptisique, tisique* al. *Asserit ille salubrem ϑ.* — 1891 *Deprimit ϑ.* — 1893 *Vetonicamque γ, κ, μ, π.* — 1894 *Et mixta π. Potenter δ, ηη, ϑϑ.* — 1895 *Creditur utilius illis ϑ; utilius creditur β.* — 1897 *Dicit cunctis λ; cunctis dicit κ. Morbis obsistere dicunt π.* — 1898 *Quodcunque π, αα, ββ. Petit η, π; cupit ηη, ϑϑ. Hanc β, δ, κ, λ.* — 1899 *Captare π.* — 1900 *Expellit β; expelli η; et pellit π; depelli γγ. Talia dicunt β, π.* — 1901 *Possit ϑ, κ, λ.* — 1902 *Vilia iure β, η, ϑ; vilia cuncta ϑ; inania iure αα, ββ, γγ,* G; *anilia* rel. edd. et *α, δ, κ, λ, μ, π.*

## LIX. CHAMAEDRYS.

Chamaedryos graece, quae Gamandrea latine
Dicitur; hanc herbam calidam siccamque fatentur,
Tertius est in utroque gradus. Depellit abortum,
Si mixta potetur aqua, tussique medetur,
Conquassata iuvat; si mixta bibatur aceto,
Splen siccat; purgat cum vino menstrua sumpta;
Hydropicis in principio sic sumpta medetur,
Sic quoque pestiferis occurrit morsibus illa.
Cunctis praedictis prodest superaddita trita;
Sordens purgabit vulnus, licet inveteratum,
Si cum melle teras et tritam desuper addas.
Chamaedryos oculi succo cum melle peruncti
Dicuntur clari dempta caligine reddi;
Si tritam misces oleo corpusque perungas,
Pellet frigdorem, revocabit et ipsa calorem.

## LX. MAURELLA.

Herbam, quam Graeci Strignum dixere, Latini
Maurellam dicunt; vis eius frigida valde est.
Dicitur auriculae mire sedare dolorem
Illius succus, si sensim funditur intus;
Egilopis Strigni dicunt cataplasma mederi,

---

1903 *Gametreos* α; *gamedreos* β, ϑ, G, αα, ββ, γγ; *camedreos* γ, ϰ, δδ; *gamidreos* δ; *gamandros* η; *camadreos* λ; *camitreos* μ, π; *chamaedrijs* εε; *chamaedrys* ζζ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. *Germandria* α, η; *germandrea* β, π, δδ; *geramandrea* γ; *gamandrea* δ, ϰ, εε, ζζ; *gaermandrea* λ; *iermandrela* μ; *gamandraea* ηη, ϑϑ, ϰϰ. — 1904 *Siccam calidamque* ϰ, λ. — 1906 *Potatur* η, ϑ. *Tussimque* plur. codd. et edd. — 1907 Conquassata scil. membra G. *Concassata* α. — 1909 *Suscepta medetur* ϑ. — 1910 *Sicque pestiferis* η. *Decurrit* μ. — 1912 *Purgabis* η, ϑ, μ, edd. Atroc. Cornar. Pictor., ϰϰ. — 1913 *Trita, tritum* var. codd. et edd. *Si superaddas* δ, ϑ, η. — 1914 Cfr. v. 1903. *Oculi cum succo* α, β, ϰ; *cum succo et melle* γ; *oculi si sint cum melle* δ. — 1916 *Perungis* λ. — 1917 *Frigorem* var. codd. et edd.; *fridorem* α; *frigdorem* γ, λ, π, quae vox est medio aevo propria. *Frigus depellit revocabit* ζζ; *depellit frigus* ϰϰ; *pellit frigus* ϰ; *pellit frigorem* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *pellet frigorem* δ, μ, αα, ββ, γγ. *Revocabit vero* δ. — 1918 Vocem *strychnon* varie deformarunt scriptores medii aevi, plurimi codices iique vetustiores habent *strignum*, ut β, γ, ϑ, ϰ, μ, π. — 1919 *Maureolam* α, μ; *morellam* γ. *Cuius vis fr. v. est* η; *vis eius est frig. valde* ϰ; *vis est sibi frig. valde* γ, ϑ; *vis eius frig. valde* α, λ, μ. — 1920 *Dicunt* α. — 1922 *Aegilopi* ζζ; *aegilopis* α, δδ, εε, ηη, ϑϑ, ϰϰ; *egilopas* γ, η, αα, ββ, G; *egylopis* δ; *egilopis* β, ϑ, ϰ, λ, μ, π, γγ, quae lectio temporibus Macri magis congruere videtur, quam rectior illa Cornarii. *Datur (dicitur) catapl.* β.

Istud idem dicunt capitis prodesse dolori;
Una cum Strigno si sal panisque terantur,
Parotidas reprimit cataplasmatis addita more;
Strigni prurigo depellitur illita succo;
Succus suppositus fluxum stringit muliebrem.
Contritis eius foliis coniunge polentam,
His superappositis sacer ignis et herpeta mordax
Dicitur expelli; si vero iunxeris istis
Argenti spumam, cerussam, oleumque rosatum,
Fortius et melius praedictum fit medicamen.

## LXI. IUSQUIAMUS.

Iusquiamum Graeci quam nostri Caniculatam
Dicunt, huic herbae virtus est frigida valde.
Tres habet haec species, semen profert prior album,
Altera subrufum, producit tertia nigrum;
Nobilior reliquis est semen quae gerit album,
Pro quo si desit mos est apponere rufum,
Nigrum vero frequens medicorum respuit usus.
Iusquiami foliis contritis adde polentam,
Haec adhibendo potes quosvis curare tumores,
Sic mire calidam potes infrigidare podagram,
Auribus infusus vermes succus necat eius,
Illarumque solet varios lenire dolores.
Ore diu tepidum si contineatur acetum,
Quo sint decoctae radices illius herbae,

---

1923 *Creditur istud idem cap.* κ; *istud idem credunt* γ; *istud id. dic. cap. sedare dolorem* δδ, εε, ηη, ϑϑ. — 1924 *Teratur* β, γ, η, π; *iungantur* κ. — 1925 *Reprimet* α, β, κ, μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; *reprimunt* G. *Cataplasmi* α. — 1927 *Suppositis* ζζ. *Mulierem* β, γ. — 1928 *Foliis eius* β, γ, ϑ, κ, π. — 1929 *Erpeta* β, γ, μ; *herpita* δ; *herbita* η. — 1930 *Si tu coniunxeris* δ. — 1931 *Caerusam* δδ; *caerussam* εε, ζζ; *cerusamque oleumque* π. *Rosarum* ηη, ϑϑ. — 1932 *Dic medicamen* δ; *sit medic.* π, ηη, ϑϑ. Hunc versum omitt. η. — 1933 *Calliculatam* η; *cauliculatam* ϑ. — 1934 *Appellant herbae* λ. — 1935 *Haec* omitt. α. — 1936 *Semen dat tertia* λ. — 1937 *Quod gerit* edd. Atroc. et Pictor. — 1939 *Sequens* κ. *Respicit* ϑ. — 1941 *Hoc* ηη, ϑϑ. — 1942 *Infrigdare* λ, π, κκ. *Poteris curare pod.* β; *poteris sedare pod.* ζζ. — 1943 *Succus vermes* κ. *Necat huius* λ. — 1944 *Illorum solet* β. *Levare dolores* αα, ββ, γγ. *Sedare tumores* λ. — 1945 *Continetur* β. — 1946 *Quo fuerint coctae* κ. *Ipsius* κ.

Dicitur immodicum dentis placare dolorem.
Expressus succus contriti seminis eius
Viscosum calidumque potest compescere rheuma,
Si fuerint oculi patientis saepe peruncti.
Seminis illius obolus cum semine mixtus
Miconis pariter cum mulsa sumitur illis
Utiliter, fluxum matricis quae patiuntur,
Et dicunt haemoptoicis sic posse mederi,
Vel quocunque modo sanguis iactetur ob ore,
Dicitur hic potus medicari saepius haustus.
Cum vino tritum semen cataplasmaque factum
Mammas et testes dicunt curare tumentes;
Emplastris multis apponitur antidotisque.
Infert sicut olus haec herba comesta maniam,
Praestat idem succus in quovis vulnere fusus.

## LXII. MALVA.

Dixerunt Malvam veteres quod molliat alvum,
Esse cacostomacham Sextus Niger asserit illam
Atque Dioscorides, tamen interioribus ambo
Sumptam sicut olus multum prodesse fatentur,
Et sic vesicae dicunt illam medicari,
Sicque venenosis occurrere potibus illam.
Hi quoque confirmant, Malvae foliis salicisque
Ex aequo tritis citius meliusque cruentum

---

1947 *Pacare* λ, μ, γγ, δδ, εε, ηη, ϑϑ; *paccare* γ, αα; *peccare* ββ; *sedare* π; *placare* α, β, δ, η, ϑ, ϰ, ζζ, ϰϰ. — 1948 *Sem. huius* β, λ. — 1949 *Reuma* plur. codd. et edd. — 1950 *Patientes* η, ϰ, λ, μ, π, ϰϰ. *Inde peruncti* α, ϰ, λ. — 1951 *Obulus* δ, ϑ, γγ, εε, ζζ, ϰϰ; *obolum* γ. — 1952 *Myconis* δδ; *meconis* ζζ; *miconii* α, β, η, ϑ; i. q. papaver. *Illud* δ. — 1954 *Haemophthisicis*, *emoptoicis* al. — 1958 *Cur. tumorem* β. — 1959 *Multis emplastris* ϰ. Hunc versum omitt. α. — 1960 *Infert sic. ol. comestaque munera vitae* αα, ββ; *aufert sic. ol. com. mun. vitae*, i. e. mortem inducit G.; *lac fert sicut olus haec herba comesta mamillis* π; *lac praebet* (*sic-*) *ut olus h. herba com. mamillis* β; *infert sic aliis h. herba comesta maniam* μ; *infert sic. ol. h. herba com. iuvamen* α, ϰ. Cfr. Diosc. IV. 69. — 1962 *Malvam quod valde molliat alvum* γ; *malvam nostri quod* ϰϰ. Cfr. Regim. Salern. v. 173. — 1963 *Cacostomacam* plur. codd. et edd.; *catostomacans* α; *cacostomachans* μ. *Festus magis* γ, a recentiori manu emendatum in *Sextus Niger*; *sextus magus* ϑ; *sextus magis* δ, ϰϰ. Cfr. Plin. XX. 21. — 1964 *Diascor.* plur. codd. et edd. sicut iam v. 1088, 1103, 1628. — 1967 *Motibus illam* ϰ. — 1968 *Quoque affirmant* αα, ββ. — 1969 *Ex eo tritis* γ.

Sanari vulnus, emplastris quam pretiosis.
Addunt auctores ipsi, quod Malva potenter
Conquassata iuvet adipi commixta vetusto,
Unius caulis radix admota dolori
Dentis sedat eum; venerem stimulare refertur
Haec eadem, femori si lino adnexa geratur.
In lana nigra tectam si gesserit illam
Femina, mammarum dicunt occurrere morbis;
Scripsit abortivam Thebana Olympias illam,
Si resolutus adeps miscebitur anseris illi
Et sic subdatur, veluti pessaria, vulvae.
Contritis foliis illius cum sale pauco
Egilopas pelles, succoque medeberis eius
Puncturis apium; cui si coniungis olivum,
Corpus et inde linas, apium te nulla nocebit.
Decoctam lotio capiti superaddito malvam,
Sic turpes achoras pelles furfurque nocivum;
Decoctis eius foliis si iungis olivum,
Extingues ignem sacrum cataplasmate tali.
Et combusturis illo bene subvenis ignis.
Duricias stericas eius decoctio mollit,
Intestinorum causis matricis et ani
Haec eadem mire prodest, si subditur illis.

---

1971 *Malva potata* β. — 1972 *Iuvat* α, γ, ϑ, λ, edd. Atroc. Cornar. Pictor. — 1973 *Admixta doloris* λ; *adiuncta dolori* μ. — 1974 *Venerem stimulare feruntur* β; *ven. stimulasse refertur* δ, ϰ; *ven. stimulare fatentur* μ; *sedat tamen ven. stimulasse fiat* αα, ββ. — 1975 *Femori in lino* β. *Annexa* al.; *adiuncta* μ; *admixta vel annexa* ϰ. *Feratur* δ, η, ϑ. — 1978 *Thebanis* ββ; *Thebanus* α, λ; *Tebanus* η; *Thebanam* μ. *Olymphias* α; *Olimpias* γ, ϰ, η; *Ollimpias* μ; *Olimpias illa* β. *Thebana at Olympias* ζζ, ϰϰ. — 1980 *Subdantur* ϑ, μ; *sedantur* α. — 1981 *Foliis eius cum sale paneque* μ. — 1982 *Aegylopas pellit* edd. Atroc. Cornar. Pictor. ϰϰ. *Succo* π. *Medeb. isto* γ. — 1984 *Corp. inde linas* μ; *corp. et illinis* β; *corp. et illinas* γ; *corp. et inde bibas* δ. *Tibi nulla* ϰϰ. — 1986 *Acoras* al. *Sic furfur pelles nocuum tristes et achoras* ζζ. *Acor. turp. pell.* ϰϰ. — 1987 *Foliis eius* α, β, γ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Si iungas* α, β. — 1989 *Illud bene* γ, λ; *cunctis bene* η. *Subvenit ignis* β, γ, η, ϰ, λ, ηη, ϑϑ, ϰϰ; *subvenis ignis* α, ϑ, μ, π, δδ, εε, ζζ; *subvenis igni* δ; *subvenis illis* αα, ββ, γγ. — 1990 *Duricias uteri ipsius* ζζ, ϰϰ, cfr. v. 13. *Decoctio solvit* η. — 1992 *Etiam mire* α, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *eadem prodest mire* π, ϰϰ. *Subditur illi* β, γ, δ.

## LXIII. PARATELLA.

Herba solet Lapathi vulgo Paratella vocari,
Illius species dicuntur quatuor esse,
Par tamen est ferme vis omnibus in medicina,
Omnibus est illis fervens austeraque virtus,
Unde quidem stomachum confortat sumpta, soletque
In stomacho clausum per ructus pellere ventum,
Sumptaque sicut olus fertur restringere ventrem.
Pruritus mordax scabiesque cutis laceratrix
Illius tepido cedunt apozimate fota;
In vino coctae radices et bene tritae
Appositae scrophas compescunt parotidasque.
Eius saepe tepens si coctio gargarizetur
Uvas sedabit tumidas dentisque dolorem.
Haec dysentericos potu iuvat et ciliacos,
Pellitur hac tepida dolor auris si foveatur.
Decoctas valido radices eius aceto
Et tritas spleni superaddito saepe tumenti,
Quamvis non modicum reprimet siccando tumorem.
Cum vino vel aqua radicum coctio facta
Menstrua restringit potu, lapidesque repellit;
Haec eadem iuvat ictericos, suspensaque collo
Illius radix scrophas nasci prohibebit.

---

1993 Lapati δ, π; lapatii β, μ; lapacii γ; laphati λ; laphiti ϰ. Panatella ϰ; paretella μ; pericella αα, ββ, γγ; parella, parelle dicitur haec herba sermone vulgari Francogallico. — 1994 Quattuor αα, γγ. — 1995 Est forme vis ϰ; est pene vis δ. — 1996 Amaraque virtus η. — 1998 Perruptus β, γγ; per ructum δ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; per ictus μ. Solvere ventum λ; tollere ventum η. Hunc versum omitt. α. — 1999 Sumptum δ; sumpta η. Constringere γ; astringere ββ. — 2001 Tepida ϰ, π, αα, ββ, γγ. Apoximate plur. codd. et edd.; apozemate ζζ. Facto δ, αα, ββ, γγ; facta π; factae ϰ; fota α, β, γ, η, ϑ, λ, μ et edd. Atroc. Pictor. Cornar. ϰϰ. — 2002 Radicis εε, ηη, ϑϑ. — 2003 Appositu α; apposito ϑ; appositum ϰ, π. — 2004 Gargarisetur ϑ, ββ. — 2005 Dent. tumorem λ. — 2006 Hoc al.; et ηη, ϑϑ. Sciliacos γ; ciriacos λ. Atque dysentericis prodest haec coeliacisque ζζ. Ciliacus est, qui morbo coeliaco laborat, cfr. v. 1656. — 2008 Calido radices β; eius valido radices μ. — 2009 Attritas ϰϰ. Superaddas αα, ββ, γγ; superaddita β, π; superaddite ϰϰ; superaddito α, γ, δ, η, ϑ, ϰ, λ, μ, edd. Atroc. Cornar. Pictor. — 2010 Quemvis al.; quamvis γ, δ, ϑ, ϰ, λ, μ, γγ. Immodicum δ, ϑ, ϰϰ. Reprimunt, reprimit al.; reprimet α, γ, δ, ϰ, λ, μ, π, G, γγ. — 2012 Restringit α, β, γ, δ, η, ϑ, ϰ, λ, π, ϰϰ; restringet rel. edd. Repellet μ, edd. Atroc. Cornar. — 2014 Prohibetur δ, η.

## LXIV. LOLIUM.

Frumentis nocuam Lolium Graecus vocat herbam,
Quam nostri dicunt vulgari more Nigellam.
Cancros emundat, pascentia vulnera curat,
Cum raphano modicoque salis superaddita trita;
Zernas et lepras cura compescis eadem.
Sulphure cum vivo purgamentisque columbae
Admisce Lolium, semen quod lilia praebent
His iungas, haec cocta mero superaddito scrophis,
Sic scrophas spargit, sic apostemata rumpit;
Duriciasque alias emolliet hoc cataplasma.
Mulsa decoctum commixto thure crocoque
Apponas coxae, sciasis quam vexat iniqua.
Parturiens mulier si se subfumiget illa,
Asseritur citius ventris deponere pondus.

## LXV. CICUTA.

Frigida letiferae vis est natura Cicutae,
Unde necat gelidi potantes more veneni;
Qui perit hac herba cutis eius fit maculosa,
Unde genus mortis valet haec per signa probari;
Publica poena reis haec esse solebat Athenis,

---

2015 *Nocuum* ϰ, ηη. *Graecus lolium* η, ϑ, ϰ. *Vocat illam herbam* α. — 2016 *Nomine* αα, ββ. Vox *lolium* neque graeca est, neque nigellam denotat, haec scilicet graece *μελάνθιον* dicitur, illud *αἶρα*. — 2017 *Emendat* η. *Nascentia* (corr. *pascentia*) γ; *nascentia* αα, ββ, γγ; *putrentia* η, ϑ. — 2018 *Sale* β, γ, ϰ, μ, π. — 2019 *Dertas et* π. Zernae i. e. impetigines, λειχῆνες ἄγριοι Diosc. *Compescit* α, β, γ, δ, ϑ, ϰ, λ, μ, ηη, ϑϑ, ϰϰ. — 2020 *Sulphur* ϰϰ. *Vino* α, β, γ, ϑ, ϰ, λ, π, δδ, εε, ηη, ϑϑ, ϰϰ; *vivo* μ, ζζ; *cum mero* δ. Purgamenta columbae i. q. fimus columbinus. — 2021 *Admiscens* β, ϑ, μ. *Lolio* μ, ϰϰ. De seminibus lini, non lilii, loquitur Dioscorides, sicut omnia eius dicta hic pessime inter se commiscentur. — 2022 *Superaddita* plur. codd. et edd.; *superaddito* α, γ, ϰ, γγ. — 2023 *Scrophas sic spargit sic apost. purgat* ϰ. — 2024 *Duriciesque* β. — 2025 *Mulso* ϑ. *Decoctum* α, μ, ζζ, ϰϰ; *decoctam* δ, η, ϑ, ϰ, λ, π. *Commixto* α, γ, δ, ϑ, ϰ, λ, μ, ζζ, ϰϰ; *cum mixto* η; *commixta* β; *cum vino* al. — 2026 *Coxae ischias hanc si vexat* ζζ; cfr. v. 39. — 2028 Post hunc versum addunt edd., excepta ζζ et ϰϰ, versus tres ex cap. de cicuta 2051—53, sed omittunt hos versus α, β, γ, δ, η, ϑ, ϰ, λ, μ, π; Gueroaldi comm. bis eos habet, scilicet in utroque capite. Cod. β et μ loco horum versuum habent: *Namque (iamque) calor dat temperiem cum frigore mixtus.* — 2029 *Sicutae* ββ. *Vis noscitur esse cicutae* η, ϰ, δδ, εε, ηη, ϑϑ; *vis est immensa* ζζ. — 2032 Hunc vers. omitt. ϰϰ. *Hoc per* al. — 2033 *Hoc esse* α. *Athenis esse solebat* μ.

Hac sumpta magnus Socrates fuit exanimatus;
Qualiter hoc fiat non aestimo dicere nostrum,
Cum nil quod noceat, sed quod iuvat est referendum.
Hac sumpta si quis morti sit proximus herba
Forte merum tepidum bibat evadetque periclum.
Sed quamvis potu solet haec assumpta nocere,
Magnifice tamen appositu solet illa iuvare;
Aestivas mire iuvat epiphoras oculorum,
Si frons contritis foliis sit operta virentis,
Vel si sint eius circumlita lumina succo;
Hac quoque pellentur sacer ignis et herpeta cura.
Tradit Anaxilaus, si succo saepius eius
Virgo linat mammas, sibi cum turgescere primum
Incipient, modicas semper stantesque manere;
Lac contrita virens mammis superaddita siccat;
Extinguit venerem, fluxum quoque seminis omnem
Si pecten trita cataplasmes saepius illa.
Argenti spumae commiscens hanc adipique
Apponas calidae cataplasma salubre podagrae
Et per se tali multum prodesse probavi;
Singula cur memorem, nocuum quemcunque calorem
Apposita trita poteris curare Cicuta.

---

2036 *Iuvet esse ferendum* κ. — 2037 *Si quis sumpta* γ, δ, η, κ; *sumpta quisquis sit morti* κκ. — 2039 *Assumpta necare* ϑ. — 2040 *Appositu* α, β, κ, μ, π, ζζ; *apposita* al. — 2041 *Estuas* β; *esturas* γ, λ; *ustivas* ζζ, κκ. — 2042 *Attritis* β; *contritus* αα, ββ. — 2043 *Sunt eius circumdata* μ. — 2044 *Pellentur* δ, κ, λ, μ, π; *pelluntur* edd. *Herp. cura* α, β, γ, δ, η, λ, μ, π; *herp. mordax* edd. — 2045 *Anislaus* α; *Anisilagus* β; *Anisilas* γ; *Anasifilas* δ; *Anafilus* κ; *Anasilas* η, λ, μ, π; *Anasillas* αα, ββ, γγ, δδ; rel. edd. habent *Anaxilaus*, Plinium (XXV. 13.) secutae. — 2046 *Ligat* δ. *Cum crescere* α; *his cum turgescere* β. — 2047 *Incipiunt* γ. *Semper modicas* η; *modice stantes semperque* κ. — 2048 *Contrita furens* δ. — 2049 *Extinguit tumorem fl. qu. foeminis omnem* ηη, ϑϑ. — 2050 *Pectus* edd. Atroc. et Pictor.; pecten i. q. regio pubis. *Cataplasmas* η, γγ. — 2051 *Spumas* δ, κκ. *Commisces huic adipemque* κκ. — 2052 Hunc et sequentem versum omitt. κκ. — 2053 *Prod. putavi* γ. Hunc versum omitt. δ. Versus 2051—53 in nonnullis edd. leguntur post v. 2028 in fine capitis de Lolio. — 2054 *Singula cum* α; *cur* β, γ, δ, η, μ, π, κκ; *quid* rel. edd. *Nocivum* αα, ββ, γγ. — 2055 *Opposita* αα, ββ.

## LXVI. PIPER.

Carmine iam dictis aliquot vulgaribus herbis
Nunc species illas, quas cunctis iam prope notas
Usus vendendi fecit, tentabo referre,
Atque prius Piperis (quod notius ipsa coquina
Quam medicina facit) vires puto discutiendas.
Virtutis siccae Piper asseritur calidaeque,
Tertius esse gradus conceditur huic in utroque.
Tres sunt huic species: album, longumque nigrumque,
Sed quia sunt geminae medicis tantummodo notae,
De specie nigra dicam quaedam mihi nota.
Crudum vel coctum sumptum, vel melle iugatum,
Vim digestivam stomachi iecorisque iuvabit.
Morsus pestiferos curat, fastidia tollit,
Occurrit variis thoracis saepe querelis,
Quodque movere solet frigus periodica febris
Compescit, febris si sumitur ante tremorem.
Cum lauri baccis vel cum foliis bene tritis,
Cumque mero tepido potatum tormina sedat,
Et scrophas reprimit admixtum cum pice dura
Et superappositum; recte quoque iungitur illis,
Quae purgare solent oculos caligine dira.
Admixtum nitro maculas cataplasmate delet,
Usti stercoris humani cum pulvere tritum
Ana iunge Piper et sic superaddito cancris,

---

2056 *Carm. descriptis paucis vulg.* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *iam dictis paucis vulg.* η. Incipiunt nunc sic dictae *Species*, seu aromata, seu plantae peregrinae et in hortis cultae. — 2057 *Iam saepe* αα, ββ, γγ. *Notatas* γγ. — 2058 *Usus medendi* edd., excepta ζζ et κκ. *Facit* α. *Tentando* αα, ββ; *temptabo* γ, δ, κ, π. — 2059 *Notius esse* η. — 2061 *Virt. siccae et calidae piper esse refertur* γ; *siccae calidaeque asseritur esse* μ. — 2062 Deest hic versus in αα, ββ, γγ; habent rel. edd. et α, β, γ, δ, η, ϑ, λ, μ, π. — 2063 *Album longum quoque nigrum* η, ϑ. — 2065 *De forma nigra* κ; *de specie dicam nigra* η; *de specie nigri* κκ. — 2066 *Coctum vel crudum* π. *Cum melle* μ, δδ, εε, ηη, ϑϑ. *Vel melle ligatum* α. — 2068 *Fast. lenit* δ, η, λ, π. — 2069 *Pectoris occurrit variis persaepe querelis* μ. — 2070 *Quaeque* ϑ. *Mov. frig. solet* αα, ββ; *sol. mov. frig.* γγ. *Perihodica* al. — 2071 *Compescet* β, γ. *Febrem* β, γ, μ; *febres* κ. — 2072 *Bacis* λ; *bachis* δ. — 2074 *Reprimit scrophas* μ. — 2076 *Haec purg'.* κ. *Oculis caligine dempta* μ; *oculos cal. nigra* ζζ; *cal. dura* αα, ββ, γγ. — 2077 *Nigras maculas* κ. — 2078 *Sterc. hum. combusti* γ; *sterc. h. exusti* μ; *st. h. exustum* β; *usti stercoricis* π. *Pulvere trito* γ, μ; *cum pulvere tritum* β. — 2079 *Ana* α, β, δ, η, ϑ, κ, λ, μ, π, ζζ; *una* rel. edd. *Et sic superaddita* β; *sic et superaddita* μ.

Experti nihil utilius hoc pulvere dicunt.
Nemo potest omnes Piperis describere vires,
Namque Piper ferme medicamina cuncta requirunt,
Antidotisque solet pretiosis pluribus addi,
Hinc puto tam paucas laudes de simplice dictas
Quod sit in innumeris hoc dignum laude medelis.

## LXVII. PYRETHRUM.

Est Pyrethrum calidum siccumque, quartus in istis
Est gradus; excruciat dentes si frigidus humor
Masticet hoc patiens, teneatque diutius ore,
Et iuvat admixto si gargarizetur aceto;
Hocque modo tumidam reprimit de flegmate linguam,
Sic uvam relevat humoris pondere pressam,
Et multis aliis vitiis sic subvenit oris.
Non modicum prodest sumptum cum melle caducis,
Sicque levare solet morbum qui membra resolvit;
Suspensum collo pueris prodesse caducis
Creditur et solo succurrere fertur odore.
Ex oleo quo decoquitur si corpus inungas
Ante febris motum, minuet tolletque rigorem,
Renum saepe gravem fugat unguen tale dolorem,
Miram sentit opem paralyticus inde perunctus,
Non leviter manibus fuerit si saepe fricatus;
Unguine si totum corpus mulcebitur isto,

---

2080 *Experti utilius nihil hoc* β, γ; *exp. nihil utilius quo* λ. — 2082 *Nempe piper* δ, κκ. *Fere medic.* η. — 2084 *Paucis laudes et* αα, ββ, G; *paucas laudes de* α, β, γ, δ, η, ϑ, κ, λ, μ, π et rel. edd. Gueroaldus explicat: „tam paucis et simplice stilo." — 2085 *Quod sit innumeris* α, γ, κκ; *quodque sit innumeris* δ, μ, γγ; *quamquam sit innumeris* η; *quam sit in innumeris* π; *innumeris quod sit* δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. *Laude querelis* β, λ. Sensus huius loci is esse videtur: de pipere tanquam simplice medicamine ideo tam paucas laudes dici, quia id in perplurimis medicamentis compositis laudem meretur et assequitur. Hunc ultimum versum omitt. κ. — 2086 *Pyretrum, piretrum* etc. *Siccum quoque* β, λ, μ, π, δδ, εε, ζζ, κκ. — 2087 *Excutiat* μ, γγ. *Dentem* α; *dentis* αα, ββ, γγ. — 2090 *Reprimet* λ. *Fleumate, phlegmate* al. — 2091 *Uvam reprimit* β; *reprimet* η, μ. *Humido de pondere pressam* α. — 2092 *Vitiis aliis* μ. — 2093 Ordo versuum sequens: 2093, 97, 98, 95, 96, 94, 99 in cod. μ servatur. — 2094 *Sic relevare* ϑ. — 2096 *Dicitur et* ε, μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ. — 2098 *Tollet minuetque* β, ι, et eaedem edd.; *minuet tolletve* α, ϑ; *minuit tolletve* λ. *Vigorem* δ. — 2099 *Saepe dolorem* η. — 2100 *Saepe perunctus* κ. — 2101 *Leniter fuerit manibus* al. — 2102 *Sic totum* ϑ; *si corpus totum* λ, π. *Miscebitur isto* η.

Largus per poros sudor procedet apertos;
Membrorum solet hoc quemvis curare stuporem,
Et corpus servare potest a frigore tutum,
Et medicamento solvetur tetanus isto.
Tantundem prodest, si tritum solvis olivo
Sicque fricando locum quem vis medicare perungas.

## LXVIII. GINGIBER.

Gingiber atque piper aequales in medicina
Dicunt, hac causa taceo de viribus eius.

## LXIX. CYMINUM.

Esse putant medici calidum siccumque Cyminum
Tertius est illi gradus in virtutibus istis.
Assumptum quocunque modo depellere tradunt
Viscera vexantem ventum stomachumque gravantem;
Et digestivum stomachi iecorisque calorem
Excitat, et veneris credunt inhibere furorem,
Et fluxum ventris in aceto stringere coctum.
Hoc orthopnoicis miram praestare medelam
Experti dicunt cum pusca saepius haustum,
Atque venenosis cum vino morsibus ipsum
Praebet opem, tritumque fabae cum polline iuncto
Melle tepente solet testes curare tumentes
Appositum; sistit cum pusca menstrua sumptum,
Dicunt pallentem dare mansum saepe colorem.

---

2103 *Largos per poros sudores ducit* μ; *largus p. p. sudor procedit* α, β, η, ϑ, κ. — 2104 *Membrorumque solet* ϑ. — 2106 *Tetinus* α; *thetanus* π. *Isto tetanus* μ. — 2107 *Trita solvis* π; *tritum sumis* δ, μ. — 2108 *Friquendo* γγ. *Quemvis medicando perungas* κ, λ; *medicare valebas* αα, ββ; *valebis* ϑ, γγ, G. — 2109 *Gingiber* α, δ, ϑ, λ, π, γγ, ζζ, κκ; *gingeber* κ; *gigimber* αα, ββ; *zinziber* β, ε, η, μ, δδ, εε; *zingiber* ηη, ϑϑ. *Aequales nam medicinae* ε; habebatur scilicet olim Zingiber pro radice piperis. — 2110 *Dicunt quapropter taceo* κ. *Virib. huius* ε. — 2111 *Disputant medici* β. *Esse put. calidum medici siccumque* δ, ϑ, λ, κκ; *esse putant med. siccum calidumque* μ. *Ciminum* α, β, δ, ε, κ, μ, γγ, ηη, ϑϑ, κκ; *cuminum* η, αα, ββ, δδ, εε. — 2113 *Depellere dicunt* λ. — 2116 *Veneri* β, *venis* ε. *Cohibere* η. Hunc versum omitt. μ. — 2117 *Tingere* ε. — 2118 *Haemoptoicis* β, δ. *Parare medelam* η. — 2119 Hunc versum post 2120 ponit αα, ββ, γγ; in codice λ deest v. 2120, et sese proxime insequuntur 2118, 2119, 21. *Cum spica saepius* ε. — 2121 *Tritum fabae* β, ββ; *tritum cum fabae poll.* η. — 2122 *Repente* α, β, π, edd. Atroc. Cornar. Pictor., κκ. *Solet illud curare tumores* δ; *solet testes (testis?) cur. tumorem* β. — 2124 *Dicunt paulatim* ε. *Mansum dare* αα, ββ, γγ.

## LXX. GALANGA.

Flegmonem stomachi sumptum Galanga resolvit,
Et si flegmaticus fuerit corroborat illum,
Inclusum ventum sumptum fugat interiorum,
Vim digestivam iuvat hoc colicisque medetur,
Oris non modicum mansum commendat odorem,
Augmentat sumptum veneris renumque calorem.

## LXXI. ZEDOAR.

Adprime sumptis Zedoar obstare venenis
Affirmant, et reptilium morsus levat haustum.
Sumptum confortat stomachum ructusque salubres
Commovet, et crebro fastidia reprimit usu;
Antiquum stomachi dicunt curare dolorem,
Illud si patiens ieiuno masticet ore,
Et sic infectam sensim voret ore salivam.
Lumbricos ventris depellere dicitur haustum;
Allia quem faciunt foetorem pellit ab ore
Et nimium bibiti vini depellit odorem.

## LXXII. GARIOFILUS.

Gariofilum dicunt calidum siccumque secundo
Esse gradu; iecur et stomachum corroborat haustum,
Et ferme cunctis valet interioribus ipsum.

---

2125 *Phlegmonem* al. *Galenga* μ. — 2126 *Phlegm. fleum.* al. *Fleumaticis* δ; *flegmaticis* μ. *Ipsum* β, ε, μ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. — 2127 *Interiorem* δ, κκ, — 2130 *Ventris* δ. *Renumque dolorem* κ. — 2131 *Apprime, ad primum* al.; *adprime sumptis* α, β, η, κ, μ, π; *inprime* ε. *Sumptum* ϑ, ε; αα, ββ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ. *Zedoar* β, κ, αα, ββ, γγ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ, κκ; *zeduar* δ, η, δδ; *zedoara* μ; *zedoal* π; *cedowar* λ. — 2132 *Morsus necat* δ. — 2133 *Confirmat* β, π. *Ruct. sonantes* α; *salubris* ε. — 2136 *Istud si* β, κ. *Ieiunus* π, αα, ββ, γγ. — 2137 *Perfectam sensim movet ore* ε; *inf. sensum movet* η; *inf. sensim movet* κκ. *Ille salivam* α, β, ϑ, ζζ, ηη, ϑϑ. — 2138 *Haustu* π. — 2139 *Allea quem* ϑ; *illaque quem* δ. *Pellit odore* κκ. — 2140 Post hunc versum addit ϑ: *Zedoar ante cibum morbum necat inveteratum, Postque cibum solvit nec non fastidia tollit.* — 2141 *Garofili dicunt* α; *garofilum* δ, π; *gariofilum* ε, ϑ, αα, ββ, γγ; *gariophilum* ηη, ϑϑ, κκ; *gariophylum* δδ, εε, ζζ. — 2142 *Corrob. ipsum* edd. Atroc. Cornar. Pictor. — 2143 *Interiorib. haustum* eaedem edd. Post hunc versum addunt hae ipsae editiones et praeter eas α, β, η, κ, κκ: *Vim digestivam mire iuvat abstinet (obstruet* κ) *alvum.* Non habet G.

Accendit venerem si dragmae pondere tritum
Potatum fuerit cum vaccae lacte recenti;
Vim memorem cerebri confortat saepius haustum.

## LXXIII. CINNAMA.

Cinnama tres species dicuntur habere, sed harum
Est pretiosa magis, quae plus subtilis habetur
Et quae plus mordet mixta dulcedine linguam.
Humores stomachi siccat, corroborat ipsum,
Et facit acceptas ut digerat ocius escas;
Sumptum curat hepar lotiumque et menstrua purgat,
Humida tussis eo sedabitur atque catarrhus.
Hydropisis speciem, cui praebent tympana nomen,
Sumptum non modicum reprimit renumque dolorem;
Reptilium morsus curat; si iungitur illis,
Quae curant oculos, humores siccat aquosos;
Si bene contritum forti miscetur aceto
Liberat appositum tetra lentigine vultum,
Sicque iuvat morbum qui ducit ab impete nomen.
Grossa magis species fluxus haemorrhoidarum
Stringit, aqua gelida bene si contrita bibatur,
Tempore quo nondum patiens ieiunia solvit.
De specie geminas haec quaerit potio dragmas.

## LXXIV. COSTUS.

Costi sunt geminae species: gravis una rubensque
Est et amara nimis, haec indica dicitur esse;

---

2144 *Drachmae* al. — 2147 *Cinama* μ; *cymama* η. — 2151 *Acceptas non digerit* δ. *Protinus escas* ϑ, αα, ββ, γγ. Hunc versum ante v. 2150 habet π. — 2152 *Lotium et* η, γγ; *lot. sic* ϑ; *lot. quoque menstrua* δ; *loculisque menstrua* αα, ββ. — 2153 *Curabitur atque* π. — 2154 *Hydropicis* al. *Praebet* η, ϑ. Tympanitis more veterum ad hydropes refertur. — 2156 *Iung. illud* μ. — 2157 *Quae turbant* δ; *qui turbant* κκ; *quae cruciant* η; *et curans* ϑ. *Humectos siccat* μ. — 2158 *Si bene contrita* δ; *attritum bene si* μ. *Iungatur aceto* κκ. — 2159 *Tetra caligine* λ. — 2160 *Ab epate* μ; *ab impetu* π. Impetigo nomen ducit ab impetu vel impetere, eadem ratione ut germanica huius morbi denominatio Ansprung. Cfr. Seren. Samon. cap. 11. v. 160. — 2161 *Crassa* ζζ, κκ. *Fluxum* ηη, ϑϑ. *Emorroidarum* al. — 2163 *Ieiunia fregit* α, λ, π, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *frangit* ϑ; *solvit* δ, κ, μ, G, ββ, γγ, κκ; *solvitur* αα. — 2164 *Hac quaerit* β, δδ, εε, ζζ. *Drachmas* al. — 2165 Costus indicus et costus arabicus. — 2166 *Dicitur indica esse* π.

Altera vero levis, nec amara, colore subalba,
Hanc Arabes mittunt, prior utilior medicinae.
Urinas purgant et eis obstantia pellunt,
Splen curant et hepar, laterisque fugare dolorem
Dicunt, cum vino tepido si sumpserit aeger.
Menstrua purgabunt, si se subfumiget illis
Femina, sic etiam vulvae sedare dolorem
Dicunt, aut ex his sibi si pessaria subdat;
Lumbricos pellunt, purgant lentigine vultum,
Si tritis cum melle linas, veneremque movere
Dicuntur, si sint cum mulsa sumpta tepenti.
Ex oleo Costum quo coxeris illine quemvis
Ante febris typum, reddes a frigore tutum;
Subvenit hoc sciasi membrisque tumentibus unguen,
Antiquum vulnus cito curat pulvis eorum.

## LXXV. SPICA.

Esse gradu primo calidam siccamque periti
Testantur Spicam, quae dicitur indica Nardus.
Confortat potata iecur, stomachique dolorem
Mitigat, et renes illius apozima purgat,
Vesicam iuvat, urinas et menstrua pellit,
Ictericis prodest, nocuis humoribus obstat,
Quos caput ad pectus transmittit saepe per uvam;
Puncturas aufert et morsus interiorum,
In stomacho clausum solet hausta repellere ventum;
Matricis nimium restringit subdita fluxum.

---

2167 *Lenis* β, δ, η. — 2168 *Arabes norunt* α. — 2169 *Obstantia tollunt* ϑ. *Purgant eius obst. pell.* μ. — 2170 *Curant plene laterisque* δδ, εε, ηη, ϑϑ; *splen et epar curant lateris curare* μ. *Laterisque levare dolorem* λ. — 2172 *Suffumiget* al. — 2173 *Vulvis* G, *vulnus* αα, ββ. — 2174 *Dicitur* μ, π. *Aut hiis sibi* π. — 2176 *Trito cum* μ. *Linis* α. — 2177 *Dicunt si fuerint* μ. — 2178 *Coctum quo* η, κ, κκ. — 2179 *Febris tepidum* κ, γγ. *Reddas* αα, ββ, γγ. Typus i. q. paroxysmus febris intermittentis. — 2180 *Subvenit ischiadi* ζζ; cfr. v. 39. *Membr. stupentibus* α, β, κ, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; *membris stupentibus* π. — 2181 *Curat vulnus cito* ϑ; *cito purgat* edd. Atroc. Cornar. Pictor. *Earum* δ. — 2182 *Esse gradu primo calidum siccumque* δ; *esse gr. pr. calidamque secundo* ε. — 2184 *Dolores* β, κ, μ et edd. Atroc. Cornar. Pictor. — 2185 *Apozema* ζζ; *apoxima* al. — 2186 *Urinam et* κ. *Menstr. purgat* λ. Hunc versum omitt. δ, μ. — 2187 *Nocuisque* edd. nonnullae. — 2189 *Et in oris interiorum* δ. — 2190 *Haustum pellere* μ. — 2191 *Restringet* π.

Cum gelida si detur aqua, sedare tremorem
Dicitur haec cordis, et nausea sistitur inde.
Excitat haec venerem cum sapae sumpta liquore,
Duricias stericas elixatura resolvit
Eius fomento per partes inferiores.
Lumina si tepida foveantur saepius illa,
Affirmant acri prurigine libera reddi,
Palpebraeque pili bene confortantur eadem.
Est Nardi species, quae *celtica Spica* vocatur,
Celtarum tantum quod nascitur in regione;
Omnia quae Nardus valet indica, dicitur ista
Posse, licet vires videatur habere minores.

## LXXVI. THUS.

Thus calidum siccumque gradu dixere secundo.
Lumina clarificat, lacrymo si solvitur ovi
Contritum vel femineo cum lacte tepenti.
Acri cum vino tritum pice lacteque mixtis
Vulnera praecipue curare recentia dicunt;
Pingui porcino mixtum medicabitur ustis,
Admixtum melli panaritia decutit unguis.
Thus bene contritum vinoque tepente solutum
Affirmant auri multum prodesse dolenti,
Tritum cum creta cimolea sicque rosato
Permixtum mammas dicunt curare tumentes.
Nil credunt haemoptoicis magis auxiliari,

---

2192 *Haec gelida* ϑ; *cum calida* ε. *Datur* κ. *Sedare tumorem* κ, λ. — 2194 *Sape, sepe, cepe, saepe, sapa* al. Cfr. v. 1578. *Cum sumpto saepe liquore* κ. — 2195 *Duricias uteri ast elixatura* ζζ, κκ; cfr. v. 13. — 2196 *Interiores* β. Si foventur decocto spicae partes inferiores. — 2198 *Omni prurigine* π. — 2199 *Palpebrae pili* μ. — 2200 Novum caput incipit in α, β, δ, μ; agitur de spica celtica. — 2201 *Celticarum* β; *Cellorum* δ; *celtarum* emend. *celtorum* η. *Quae nasc.* al.; *quod crescit* κ. — 2202 *Dic. illa* δ. — 2205 *Lacryma* δ. *Volvitur* π. — 2206 *Cum tritum* ε. — 2207 *Vino mixtum* κ. *Lacteque mixtis* κ; *mixtus* α. — 2209 *Medicab. istis* αα, ββ, γγ, G. — 2210 *At mixtum* δδ, εε, ηη, ϑϑ. *Melle* δ. *Panaria* μ; *plantaria* ββ; *planaritia* δδ, εε; *paronychia* ζζ, κκ. Hunc versum omitt. ε. — 2212 *Dolori* ε. — 2213 *Thimolea, chimolea, chimolia, clymolea, cimolaea* al. *Sicque rosata* π; *oleoque rosato* ϑ; *succoque rosato* αα, ββ, γγ; *atque rosato* ζζ. *Creta cum oleo sicque rosata* α; *creta oleo sic atque* η. Nostram lectionem habent δ, ε, κ, μ et edd. reliquae; Diosc. (I. 81) habet *σὺν κιμωλίᾳ καὶ ῥοδίνῳ*. Cod. β omitt. hunc versum. — 2214 *Curare dolentes* δ. — 2215 *Ne credunt* ε. *Emoptoicis, haemophthisicis* al.

Admixto vino si sumatur vel aceto;
Thus cum lacte terens muliebri si superaddas
Ulceribus, fieri quae saepe videntur in ano
Aut alio quocunque loco, medicabitur illis.
Huic aloë iungens lacrymumque albuminis ovi,
Sic ut sit spissum, sectae superaddito venae,
Aut his vulneribus nimio quae sanguine manant,
Nec solvas nisi cum credas divisa coisse;
Si sit opus medicamen idem superadde priori,
Donec firmari valeat solidata cicatrix,
Affirmant melius nil sistere posse cruorem.
Vim memorem cerebri proprio confortat odore,
Origano iunctum si quis commasticet ipsum,
Humores nocuos capitis per sputa repellit,
Allevat ista gravem capitis purgatio linguam.
Anseris aut anatis mixta pinguedine Thuri
Fit cataplasma valens membris, quae laeserit ignis.

## LXXVII. ALOË.

Sunt Aloë species geminae, quae subrubet estque
Intus sicut hepar cum frangitur, haec epatite
Dicitur et magnas habet in medicamine vires,
Utilior piceo quae fracta colore videtur.
Flegmate mundificat stomachum, caput articulosque,
Leniter humorem nocuum purgando per alvum;

---

2216 *Admixtum* π; *aut mixto valido sibi si* ε. — 2217 *Superaddis* ε. — 2219 *Medicab. istis* π. — 2220 *Aloën* ζζ, κκ. *Iungas* ε. *Lachrymamque* plur. codd. et edd. *Albuginis* α, η, ϑ, κ. — 2222 *Ac his* η. — 2223 *Nec solvas nisi comperias* edd. Atroc. Cornar. Pictor., κκ; *nisi cum nosses* α; *nisi concedas* β; *nisi cum credes* κ. *Nec solves nisi cum credes* αα, ββ, γγ. — 2225 *Solidaque* η. — 2227 *Confortavit* η. — 2228 *Organo* αα, ββ, γγ. *Mixtum si* α, κ; *iunctum si* ηη, ϑϑ. *Cum mastice ipsum* ε; *comesticet ipsum* η. — 2229 *Capitis nocuos* edd. Atroc. Cornar. Pictor. — 2230 *Allevat illa* λ. — 2231 *Anseris anatis aut* μ. *Pinguedine thuris* λ; *pinguedine pingui* η. — 2233 *Aloës* α, αα, ββ, γγ, ζζ. *Geminae species* α, δ, η, λ, ζζ. *Subrubet estque* α, γ, π; *est quae* δ, γγ; *et quae* αα, ββ etc. — 2234 *Epitacum* (omitt. *haec*) αα, ββ; *hoc epitacum* ϑ; *haec epatea* δδ, εε; *haec hepataea* ηη, κκ; *haec haepathaea* ϑϑ; *haec epatitis* ζζ; *hinc epatite* γγ, G; *haec epatrite* δ; *haec epatice* η, π; *haec epatite* α, γ, κ, λ; sermo est de aloë hepatica. — 2236 *Utilior piceo* plur. codd et edd. G; *vilior est piceo* β, π, edd. Atroc. Cornar. Pictor.; sed supplendum est *illa*, ut sensus sit: Aloë hepatica utilior est, quam illa aloë, quae fracta piceum colorem ostendit. — 2237 *Phlegmate, fleumate* al.; *flegmata* μ. — 2238 *Leviter* al.

Ictericos purgat, iecoris iuvat interiora.
Vulnus quodque recens putredine purgat ab omni
Illius iniectus pulvis siccandoque sanat;
Praecipue veretri dicunt et testiculorum
Ulcera curari vel vulnera pulvere tali.
Si solvatur aqua, iuvat apostema labrorum
Et naris superappositum, nec non oculorum
Livoremque fugat, sic circa lumina factum;
Acri cum vino miscens oleoque rosato
Unge dolens caput et frontem, mireque iuvabit,
Unguine pruritus sedabitur hoc oculorum.
Cum vino bene contritum cataplasmaque factum
Confortat retinetque pilos quoscunque cadentes;
Linguae, gingivis, vitiis quoque subvenit oris,
Si fricentur eo cum vino melleque trito.
Hoc sumptum per se ventrem non solvit acute,
Esse tamen stomacho putat Oribasius aptum,
Cum laedant illum solventia caetera ventrem:
Illius geminas cum mulsa sumere dragmas
Idem praecepit, choleram sic flegmaque purgat,
Unaquaque die post coenam sumere dixit
Utile tres eius pilulas binasve virentis
Cum succo caulis formatas, ut faba grossas
Aut cicer, humores nocuos cum stercore purgat,

---

2240 *Putr. curat αα, ββ, γγ. Ab oris ββ.* — 2241 *Siccandaque β; siccando vulnera sanat μ.* — 2242 *Praecipue ventris η; ventris praec. δδ, εε, ηη, ϑϑ.* — 2243 *Curari et αα, ββ. Vulnera curari vel ulcera η.* — 2244 Hunc versum omitt. *αα, ββ.* — 2245 *Et variis αα, ββ; at naris λ; et varis ηη, ϑϑ. Superpositum ββ.* — 2246 *Qui circa lum. factus κ.* — 2247 *Misces ϑ.* — 2248 *Caput dol. mire frontemque αα, ββ; dol. cap. frontem mireque η. Mire iuvabit κ; mireque iuvabis α.* — 2250 *Cum bene contr. vino α.* Hunc versum omitt. *μ.* — 2251 *Quocunque γγ.* — 2252 Ordo versuum ita: 2246, 51, 50, 47, 48, 49, 52 se habet in cod. *δ.* — 2253 *Fricetur δδ; refricetur εε, ηη, ϑϑ; refricentur η; tangatur α, λ; si bene fricentur cum vino β. Melleque mixto δ.* — 2254 *Hoc solum λ. Solvet μ.* — 2255 *Stomachi ηη, ϑϑ.* — 2255 *Uribasius δ, η, κ, λ, μ, π; Urbasius α; Horibasius β; Orbasius αα, ββ;* cfr. v. 506 in quo idem auctor laudatur. — 2256 *Illum nimium solventia ventrem β. Cum laedant ipsum η.* — 2257 *Binas cum mulsa δ, κκ. Semine αα, ββ. Drachmas* al. — 2258 *Praecipit αα, ββ. Ideo praecipit α. Phlegmaque, fleumaque* al.; *fleuma π.* — 2259 *Sum. iussit κ.* — 2260 *Recentis κ, κκ; recentes αα, ββ, γγ; virentis α, β, π* et rel. edd. — 2261 *Cauli formitati ut faba μ. Faba grossa κ.* — 2262 *Aut citius αα, ββ. Nocuo ββ. Sterc. curat γ.*

Non corrumpendo stomachum neque vim faciendo
Purgatus pilulis fuerit qui saepius istis,
Vix unquam capitis vexabitur ille dolore,
Et nihil est oculis, mihi crede, salubrius istis;
Si vero duram vis solvere largius alvum
Partibus est geminis pars admiscenda terendo
Una diagridii, sic apta solutio fiet.

---

2263 *Nec vim β, δ, ε, δδ, εε, ζζ, ηη, ϑϑ; vel vim λ; neque inde μ.* In hoc versu explicit cod. η. — 2264 *Fuerit pilulis* al. *Saep. illis β.* — 2265 *Vix nunquam β; vir nunquam μ. Ipse dolore* edd. Atroc. Cornar. Pictor. — 2266 *Et nil γγ. Salubrius illis α.* — 2268 *Partib. haec gem. est adm. ε.* — 2269 Diagridii i. e. scammonii praeparati. Sequuntur in cod. ϰ versus 1928 ad 1932 ex cap. de maurella.

## *Explicit Macer Floridus*

d e v i r i b u s h e r b a r u m.

# SPURIA MACRI.

Hos spurios versus alius esse auctoris, quam illius qui Macri Floridi carmen composuit, per se patet, cum argumentum tractandi modus et versificandi ratio in utroque carmine plane diversa sint. Extant hi versus in Cornarii et Ranzovii editionibus, et imitatio videntur esse genuino carmine recentior, cum antiquiores codices et editiones non habeant. Sunt autem capita viginti.

## 1. AARON.

Est Aaron nostra, Syrorum Castica lingua.
Huic similes forma frondes sunt cum viperina,
Sed tamen huic tantae non sunt quantae viperinae,
Virgae palmarum fit magnitudo duarum,
Ipsaque purpurea, croceum profert quoque semen,
Radix ast alba est veluti viperina rotunda,
Quae mandi vel cruda potest, vel cocta, ubi virtus
Viscida non nimis est eius iuncto sale sumptae,
Sed nec dissimilis in cunctis partibus est vis.
Eius cum fimo bubulo cataplasmate facto
Imposito et podagrae medicari posse putatur.
Extenuat pingues humores in mediocri,
Unde fit ut vacuet thoracem sputa movendo.
Herbae totius est proiectoria virtus,

1 Cornar. fol. 77 b; Ranzow. pag. 94; Diosc. II. 197. — 2 Viperina i. q. Colubrina s. Dracontea Macri. — 8 *Iuncta* C., R. — 12 In med. i. e. modice.

Non tamen ut tantus fortassis sit calor illi.
Radix illius debet collecta recondi,
Ut solet abscondi cyclaminis et viperinae.

## 2. AGRIMONIA.

Omnibus est herba haec nobis Agrimonia nota,
Acris inest illi nimis et diuretica virtus,
Succus radicum pellit nebulas oculorum,
Possunt anthracas folia in potu dare sanos.
Morsus serpentis pariter rabidique latrantis,
Atque venena fugant, ventrisque bibendo dolorem;
Sed tribus adiungi cyathis vini duo debent
Pondera drachmarum radicibus e memoratis.
Apposituque suo cancromata vulnera sanant,
Luxata et, si sit tritis axungia mixta,
Et percussuras ferro vel fustibus actas,
Verrucasque simul si coniungantur aceto.
Splen quoque consumunt sumptae, pelluntque dolorem.
Cum vino coctae curant paralytica potae.
Apperiunt tritae quae sunt contrita valentque
Appositae si sint eadem cito reddere sana.

## 3. SAMBUCUS ET EBULUS.

Duplex Sambuci dicunt genus esse periti.
Sunt diaphoreticae mediocriter, utraque siccae et
Virtutis, verum et vis styptica dicitur esse.
Maior habet nomen Actes, minor at Chamaeactes,
Est Ebulus formam cui conscribunt breviorem.
Elixis ut olus cum lympha frondibus huius
Venter mollescit; choleramque et phlegmata purgant.
Haec eadem tenerae possunt sic ipsius hastae,
Cum foliis haustae vinoque terendo iugatae,
Vesicae fractos reddunt potando lapillos.
Sumpta cibo ponunt humorem ventris aquosum,
Esse cacostomacha at vescentibus herba putatur.
Eximium radix confert elixa iuvamen

---

18 Corn. f. 78b; Ranz. p. 76; Diosc. II. 208. — 34 Corn. f. 79a; Ranz. p. 77; Diosc. IV. 171, 172. — 35 *siccae est* R.

Hydropicis, viperae succurrit morsibus ipsa,
Si super emplastri ponatur more vel hausta.
Addita fomento matricum dura resolvit,
Et multis vitiis muliebribus apta putatur.
Potaque cum vino de semine potio facta,
Quae supra scripsi per se depellere novit.
Uncto caesaries mixto nigrescit olivo.
Frondes appositae possunt auferre tumorem,
Usta iuvant mixta tritae impositaeque polenta,
Vulneribus carnem replendo sanant saniosis,
Et pro posse illis cogunt paracollesin esse.

## 4. BRYONIA.

Ampelos est leuceque et dicta Bryonia graece,
Dicitur a nobis Latinis candida Vitis.
Hastas et frondes habet haec nostram assimilantes,
Sed nostrae laeves, illi sunt asperiores,
Nostrae maiores, illi paulo breviores,
Semen consimile est, minus etsi dicitur esse,
Capreoli similes multa se parte plicantes.
Qui si cum vino sunt elixi, bibituro
Ventrem cum lotio dicuntur posse movere.
Hastis et foliis radici et viscida virtus
Est, ex quo cancros cataplasmate dant medicatos,
Quaeque Chironia sunt, vel quae phagedaenica, sanant,
Vulnera, vel tibiis, ea tollunt cum sale trita.
Corporibus gratum radix fert uncta colorem,
